



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771


VD18 90118561

Liber CXLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXLVIII.



JULIUS III. PONT. MAXIMUS,
CAROLUS V. OCC. IMP.

§. I.

*Publicarum precum Ritus in Anglia
immutatus.*

Interea nova secta majores identidem
progressus in Anglia fecerat, ducto-
re Cranmero Cantuariensi Archie-
piscopo, quem Eduardi VI. auctoritas
omnino securum reddiderat: Insuper
ineunte hoc anno Domini millesimo
quingentesimo quinquagesimo primo
nova Liturgia rursus ad incudem revo-
cata, & variis in locis correcta fuit, quam-
vis reformatores plura etiam in illa re-
lin-

Sæc. XVI
A.C. 1551.

Sæcul. XVI. C.A. 1551. linquerent intacta, partim ut hac indulgentia quosdam Episcopos eo facilius ad sua pertraherent studia, partim ne populum, qui adhucdum in avitam Religionem propensum conservabat animum, magis magisque irritarent.

§. II.

Buceri iudicium circa novam Liturgiam.

Burnet. hist. de la ref. d' Angl. tom. 2. l. 1. p. 134. Porro circa hoc opus, quod quidam Scotiæ Theologus nomine Aleffus concinnaverat, Martini quoque Bucertum adhuc in vivis agentis sententia rogabatur, isque in responso die quinta Januarii dato declarabat, quod hæc Liturgia, precesque publicæ ipsi sat culte sacris literis consonæ videantur; suaderet tamen, ne Chorus in Ecclesiis Cathedralibus nimium a populo remotus esset, ut & hic Sacramentis verba percipere valeat. Præterea monebat, ut veteris disciplinæ severitas, qua scelerati a sacra Communionem arcebantur, rursus instauraretur, atque ad prævertendam superstitionem Sacerdotalium vestium usus immutaretur: minus vero eidem probabatur, quod Sacramentis officium, si communicantium nullus adsit, in Altari recitetur; omnino autem improbabat, quod fideles ad Sacram Synaxi

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

xin nonnisi semel in anno sumendam adstringerentur, hinc populum ad frequentem communionem exhortandum monebat.

Ex omnibus hisce annotationibus inferebat Bucerus, quod Sacra Eucharistia potius communicantium manibus, quam ori imponeretur, simulque preces pro defunctis abolerentur, eoquod, ut inquiebat ille, sacræ Paginæ nullam de iis mentionem facerent. Postea statuebat, sacrum Baptisma haud amplius in privatis domibus esse administrandum, sed potius usque ad publicos conventus differendum. Damnabat etiam in hujus Sacramenti administratione usum aquæ lustralis, chrismatis, ac candidæ vestis, nec non exorcismum potius in meram orationem esse convertendum censuit, voluitque, ut utriusque sexus Patroni potius suo, quam infantis nomine responderent, eoquod illi hunc infantem doctrinis sacris imbuendi onus in se susciperent. Præterea circa Confirmationem postulabat, ut haud amplius infantes Catechismum recitare adstringerentur, sed satius confirmatio differretur, donec ipsi ad confirmanda ea, quæ in Baptismo promiserunt, sponte sua sese paratos exhibeant: de cetero autem Parochi singulis diebus Dominicis Christianæ fidei

Hist. Eccles. Tom. XXI.

P

ru-

Sæcul. XVI.
A.C. 1551. rudimenta explicent, & matrimonia in publicis omnium conventibus celebrari faciant, atque infirmos unguendi usum penitus abrogent, quatuor autem vicibus per annum Eucharistiam solemniter ritu distribuant. Denique deplorabat, quod Ecclesiasticorum tam pauci reperiantur ad docendum populum idonei, quapropter huic malo remedium afferri rogabat.

§. III.

Gardinerus Viacomienſis Episcopus exauctoratus.

Ut autem cuncta, quæ spuriam reformationem retardare possent, obstacula removerentur, novaque secta perfectior redderetur, Gardinerum Viacomienſem Episcopum sede sua pellere oportebat, eo quod is sese recenti huic Liturgiæ opposuisset: mox igitur Rex nonnullos nominabat Deputatos, qui adversus eum iudicii acta instruerent: Equidem Episcopus contra eos reclamabat, atque ad ipsum Regem provocabat, imo suam appellationem iterato interponebat. Ast incassum ceciderunt omnia: pronuntiatur adversus eum exauctorationis sententia, ac confestim ad Londinensem turrim abstrahitur, ubi usque ad Mariæ regimem hærere compellitur. Pariter jam anno priori Bonnerus

nerus Londinensis Episcopus sua dignitate exuebatur, eorumque Sedes Viris novæ sectæ multum faventibus studiose conferuntur, ac die vigesima sexta Aprilis Poinetus Roffensis Episcopus ad Viacomiensem Ecclesiam transfertur, subrogato in ejus locum Storio. Præterea Exoniensi Episcopatu, quem Veysejus abdicaverat, præficiebatur Milesius Coverdalis: Ridlejus vero Londinensem, ac Hooperus Glocestriensem Ecclesiam sunt aucupati, qui ambo Præsules Cranmero plurimum propensi ejusdem consilia apprime secundabant. Horum itaque opera mox initium dabatur novæ fidei confessioni, cui ante Cleri Anglicani comitia, seu ante Mensis Februarii initium anno sequenti postrema manus fuit adhibita. Completebatur illa quadraginta duos articulos; eorum autem Auctores Cranmerus, & Ridlejus fuisse creduntur, qui etiam eos postea ad ceteros Episcopos transmiserunt, ut illos corrigerent, ac necessariis additionibus auferrent.

Sæc. XVI.
A.C. 1551.

§. IV.

Articuli novæ fidei in Anglia.

Burnet. l. c.

p. 252.

Dupin. Bibl.

des Aut. p.

134.

2. Petri c. 3.

v. 19.

Articulus I. docet unius Dei existentiam in tribus Personis. II. Incarnationem Verbi Divini adstruit. III. Ar-

P 2

ticu-

Sæcul. XVI. A. C. 1551. tculus, quod Christus vere in infernum descenderit, confirmat ex his D. Petri verbis: *Et his, qui in carcere (id est in inferno) erant, spiritibus veniens prædicavit.* IV. Declarat resurrectionem Christi Domini. V. inquit, quod in sacris litteris omnia ad salutem necessaria contineantur, unde fidei articulis nulla inferenda sit opinio, quæ ex divino hoc Codice comprobari nequit. VI. Admittit Veteris Testamenti auctoritatem sub dispensatione Evangelica. VII. Tanquam legitima declarat tria celebria Symbola, nimirum Apostolicum, Nicænum, & illud S. Athanasii: supponunt enim hi Doctores juxta communem illius ævi opinionem, quod D. Athanasius postremæ hujus fidei confessionis genuinus existiterit Auctor, quamvis postea Critici demonstrassent, hoc Symbolum plusquam trecentis annis post D. Athanasium fuisse compositum VIII. agit de peccato Originali, quod appellatur *depravatio naturæ in singulis hominibus ab Adamo descendens, qua nos justitiam Originalem perdidimus, & infaustam propensionem ad malum contraximus*: nullatenus tamen ibidem deciditur, qua ratione culpa Adami peccatis in nos derivetur. IX. Adstruit necessitatem gratiæ prævenientis, atque efficacis, sine qua per existimati nostri liberi

Sæc XVI.
A.C. 1551.

liberi arbitrii motum actiones Deo ac-
ceptas producere non possumus. X.
Explicat gratiæ operationem, eique at-
tribuit hominis conversionem, ita ta-
men, ut hæc nullam voluntati vim in-
ferat. XI. Tradit, quod per solam
fidem justificemur, hancque in rem
perperam adducitur ex homiliis aliqua,
quæ de Justificatione agit. (*) XII.
Docet, quod opera ante gratiam facta
non sint a peccato immunia. XIII. Da-
mnat omnes actiones, quæ *supererogato-*
riæ vocantur XIV. propugnat, quod
omnes homines sint actu sub potestate
peccati, solusque sit Christus Dominus,
de quo hæc lex intelligi nequit. XV.
affirmat, quod etiam post acceptam gra-
tiam peccare possumus, a culpa autem
nostra per poenitentiam erigamur.

Porro dum in articulo XVI. pecca-
tum Blasphemiz in Spiritum Sanctum
explicatur, hæc ipsa describitur, quod
sit profunda malitia, atque obstinatio
vinci

P 3

(*) Ecce! in articulo V. hi Novatores nil
nisi per sacras literas comprobatum esse admit-
tendum tradunt, nunc vero præcipuam justi-
ficationis doctrinam ex quadam homilia per-
peram intellecta tanquam fidei articulum suo
regi proponunt: Vere hi defecerunt Scru-
tantes scrutationes suas.

Sæcul. XVI. A.C. 1551. vinci nescia, qua quis verbum Dei, quamvis illud esse divinum convictus existat, persequitur & vituperat: porro id dicunt peccatum nunquam remittendum, XVII. statuitur, quod prædestinatio sit electio libera eorum, quos Deus, ut justificentur, selegit, ibidemque observatur, quod idem dogma, sicut recte de eo sentientes abundantis solatio repleat, ita ex adverso curiosis, ac carnalibus, qui hoc mysterium pervestigare præsumunt, lapis offensionis fiat, ut proin homines se regi sinant per Dei voluntatem, prout hæc eis in suo Verbo revelata est. De cetero ibidem ne verbulo quidem reprobatio tangitur. XVIII. Ostenditur, quod homo, cum semetipsum per rationis, ac naturæ suæ auxilia salvare nequeat, nullum aliud salutis remedium reliquum habeat, nisi nomen Domini nostri Jesu Christi XIX. decernitur, quod omnes homines ad servanda præcepta moralia adstringantur XX. exponitur Ecclesie conditio, diciturque, quod sit fidelium cætus, in quo pure Verbum Dei annuntiat, ac Sacramenta legitime administrantur. Postea tanquam res certa proponitur, quod particulares Ecclesie, ac præprimis Romana, errori sint obnoxie, imo etiam in fidei articulis jamjam erraverint. XXI. Ecclesia deprecatur

dicatur tanquam sacrorum Librorum **Sæcul. XVI.**
depositaria, eique adscribitur illorum **A.C 1551.**
 veritatem definiendi potestas, ita ta-
 men, ut Sacris hisce literis adver-
 sum proponendi, vel fidei articulis
 quicquam in scripto Dei Verbo haud
 contentum admiscendi facultatem ne-
 quaquam habeat.

Dum autem sermo occurrit de Con-
 ciliis generalibus, in articulo XXII.
 deciditur, quod ea absque Principum
 concessione convocari nequeant, iique
 Ecclesiastici conventus errare possint,
 atque in fidei materiis erraverint, ut
 proin eorum decreta circa fidei articu-
 los nullam vim obtineant, nisi sacris
 literis innitantur. XXIII. Purgatorium,
 indulgentiæ, religiosus S. Imaginum
 & Reliquiarum cultus, nec non Invoca-
 tio Sanctorum reiiciuntur, tanquam ri-
 tus Sacris literis non modo nullatenus
 comprobati, sed iisdem quoque contra-
 rii. XXIV. Notantur illi, qui Verbum
 Dei annuntiant, vel Sacramenta ad-
 ministrant, quin prius legitimam acce-
 perint potestatem ab illis Ministris, qui-
 bus eam conferre jure competit. XXV.
 Præcipitur, ut Ecclesiæ Officium in-
 linqua, quam populus calet, celebre-
 tur. XXVI. Restringuntur Sacramen-
 ta ad duo, simulque observatur, quod
 hæc non sint nuda nostræ professionis

Sæcul. XVI. A.C. 1551. Symbola, sed etiam efficacia divini erga nos amoris indicia, eosque, qui illa digne recipiunt, in fide corroborant, in hoc tamen articulo illorum virtus *ex opere operato* damnatur. XXVII. Perstringuntur illi qui, Sacramentorum efficacitatem a dispositione, vel intentione Ministrorum ea dispensantium dependere affirmant. XXVIII. Sequens profertur doctrina: per Baptismum efficiamur Filii Dei per adoptionem, illum vero conferre infantibus, laudabilis usus est omni modo conservandus.

In articulo XXIX. Eucharistia definitur, quod non modo sit unionis, ac mutuæ Christianorum dilectionis Symbolum, sed etiam medium, per quod Corporis, & Sanguinis Christi Domini participes fieri possumus: Dogma autem de Transubstantiatione Sacris Paginis esse adversum statuitur, indeque quamplurimi, iique superstitiosi usus fuisse exorti dicuntur. Præterea Corpoream præsentiam repugnare docent hi reformatores, eo quod idem Corpus simul duntaxat in uno loco existere valeat. locus autem proprius Christi Domini sit Cælum. Denique prohibetur, ne Sacramentum asservetur, vel in supplicationibus circumferatur, exponatur, vel adoretur. XXX. Non aliud ad-

adstruitur Sacrificium ut vocant, ex-
 piatorium præter illud, quod Christus
 Dominus obtulit. XXXI. Declaratur,
 quod Divina lex Ecclesiasticos ad cœli-
 batum non adstringat. XXXII. præci-
 pitur, ut vitæ licentiæ dediti, post-
 quam jure fuerunt anathemate percul-
 si, sint veluti Ethnici, usque dum per
 pœnitentiam Ecclesiasticam fuerint Ec-
 clesiæ reconciliati, ac publice per legi-
 timum Judicem denuo ad pacem recep-
 ti; XXXIII. decernitur, nullam subes-
 se necessitatem, vi cujus semper omni
 tempore iidem sint ritus: contra eos
 vero, qui ejusmodi ritibus jure publico
 stabilitis sese subicere renuerint, sancie-
 batur, ut publicis etiam censuris no-
 tentur, eoquod se tanquam disciplinæ,
 ac Legum inimicos profiteantur, nec
 non imbecilibus offensionem sint. XXXIV.
 Approbatur Homiliarum liber, illius-
 que tanquam libri salutaris, ac pietate
 pleni lectio commendatur. XXXV.
 Ostenditur, quod nova Liturgia adeo
 non Evangelio adversetur, ut eidem
 etiam sit apprime consona, atque ab
 omnibus Anglis recipienda.

XXXVI. Angliæ Regibus rursus
 vindicatur prærogativa supremi Capitis
 pro omnibus Regni sui Ecclesiis: Insu-
 per sequentes adiiciuntur Regulæ. I.
 Romanus Episcopus nulla in Anglia ju-

Sæcul. XVI. jurisdictione pollet. II. Magistratibus ex
A. C. 1551. conscientia est obtemperandum III. E-
normia scelera pœna capitis legitime
sunt plectenda. IV. Christiani absque
peccato contra Regni hostes arma sume-
re, & deferre possunt. Postea articu-
lo XXXVII. reiicitur error circa bona
omnibus communia, adstruitur tamen,
quod quilibet pro facultatum suarum ra-
tione pauperibus subvenire teneatur.
XXXVIII. Duo continentur dogmata,
quorum primum est, quod Resurrectio
nondum fuerit facta: in altero autem
dicitur, nos in postremo iudicii die in
eadem carne, quam nunc habemus,
esse resuscitandos. XXXIX. Innovatur
prohibitio jurandi absque necessitate,
permittitur tamen jusjurandum, si il-
lud Magistratus expetit. XL. Agitur de
animarum statu post mortem, simulque
adstruitur, quod animæ morti non sint
obnoxie, nec unacum corpore interea-
nt, neque etiam usque ad universale
iudicium sensu priventur. XLI. Pro-
scribitur fabula Millenariorum tanquam
Sacris Literis adversa, ac Judaicorum
deliriorum Reliquiæ. XLII. Eadem
quoque censura perstringitur error illo-
rum, qui damnatos, postquam ali-
quamdiu tormenta subierunt, salvan-
dos esse asserunt.

§. V.

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.*De corrigenda nova Liturgia actum.*

Hi erant articuli, ad quos sub verbis admodum succinctis tota demum Anglicanæ Ecclesiæ secta reducebatur, postquam autem hæc fidei confessio hoc modo concepta, atque ab universo Clero acceptata fuerat, in id incumbebatur, ut nova etiam Liturgia adhucdum recognosceretur, atque a mendis expurgaretur, simulque varia non nisi ad aliquod tempus recepta delerentur, ac tandem in præcipuis etiam articulis ingens fieret mutatio; quippe quotidiano Officio inferebatur generalis peccatorum Confessio, simulque præcipiebatur, ut ante communionis Officium alta voce Decalogus recitaretur, eumque populus flexis genibus exciperet; præterea in Extrema Unctione, & Confirmatione usus Sacri Olei fuit abolitus, atque ex Communionis, ac mortuorum Officio preces pro animabus defunctorum expungebantur, nec minus in Eucharistiæ Consecratione plura immutabantur verba, quæ Præsentiam Corporis Christi adstruere videbantur: Insuper ritus, vi cuius S. Crucis signum in Communione, & Confirmatione efformabatur, fuit suppressus: cum autem avita S. Synaxin flexis genibus recipiendj

Sæcul. XVI. A.C. 1551. piendi consuetudo prius fuisset retenta, nunc per specialem quemdam articulum declarabatur, quod hic usus utpote ceteris magis demissus conservari quidem valeat, nequaquam tamen hac reverentia panem, & Vinum adorare intenderetur, eoquod id manifestam faceret idololatriam, aliunde vero nullatenus credendum esset, quod vera Caro, & verus Christi Sanguis in Eucharistia præsentis sint.

§. VI.

Maria Regia Princeps huic fidei Confessioni obluçtata.

Univerfum ferme Regnum novam hanc fidei professionem nemine obluçtante amplectebatur, sola tamen Maria Henrici VIII. & Catharinæ Arragoniæ Filia sese cunctis hisce novitatibus submittere recusabat. Equidem spurii Evangelii Præcones importunis etiam precibus ab ipsomet Cæsare sollicitabantur, ut huic Principi liberum Religionis Romano - Catholicæ exercitium concederent, illud tamen eidem tandem permittere renuebant, donec progressu temporis Imperatoris amicitia regno maxime necessaria cognoscere-

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

tur (*) Carolus enim Cæsar Anglis significari fecerat quod a fœdere discessurus esset, si Principissam sibi proxime sanguine junctam usque adeo vilipendere præsumerent: quapropter hi reformatores, non nisi verbotenus, pollicebantur, quod Regiam hanc Filiam in sua Religione molestare haud velint: hanc tamen promissionem datis etiam literis firmare pertinaciter recusabant, hinc Cæsar eisdem perscripsit, postulans, ut plena Religionem suam profitendi libertas Mariæ concederetur.

§. VII.

Varvicensis Comitissæ molimina ad excludendam Mariam a Regni successione.

Inte-

(*) Benevole Lector! observes velim, quam subdole Protestantes, omnesque alii Sectatores liberum Religionis exercitium, & conscientie libertatem tunc jactitent, quando de eorum sectæ incremento agitur: ubi vero Orthodoxam, ac Catholicam fidem, imo quamcunque aliam Sectam profitendi libertas urgetur, tunc nec ipsius etiam Cæsaris preces prævalere & possunt tum piaculum non est, Christianam conscientie, ac fidei libertatem violare, tum inhumana, & diabolica tyrannis audit sacrum Inquisitionis tribunal: id tamen risu dignum est, quod hi Zelosissimi præcones Religionis suæ Spiritum immutent, quotiescunque id ob bonum temporale conducere censent.

Sæcul. XVI.
A.C.1551.

Interim Maria constanter, palamque profitebatur, quod in Religione antiquissima, atque ab omnibus retro sæculis recepta omnino persistere, nullatenus vero sectam novam vix extra Angliæ fines cognitam amplecti vellet, & firmum, ratumque haberet, præter illam Religionem, quam a Rege Patre suo olim esset edocta, nulli alteri nomen dare. Nec verbis deerat fidei constantia; quippe singulis diebus Missæ Sacrificium in suo Palatio celebrari voluit, quamvis propterea dire vexaretur non solum a Senatoribus, sed ab ipso etiam Eduardo Rege, qui hanc animi firmitatem eidem datis literis exprobrabat, illamque ad acceptandam novam Liturgiam vi compellendi consilium iniisse videbatur: Itaque Maria, ut sese tantis vexationibus subduceret e Regno excedere statuit, hancque rem navim illam conscendere decrevit, quam ad maritimam Provinciæ Essexiæ oram ducere jubebatur Scipio a Belgii Gubernatrice eo ablegatus, perinde ac si annonam advecturus eo excurreret. Verum detectis hisce consiliis tota res successu caruit, ipsaque Mariæ Principis constantia tam Regem, quam ejus Ministros tantopere exacerbabat, ut omnibus suis sollicitationibus in-

incaffum adhibitis illam vi ad obsequium cogere decernerent. Verum Caroli V. Orator hanc adhuc tempeftatem feliciter diffipabat, ex Anglia excedere minitans, fi Mariæ violentia adhiberetur: infuper gravibus adeo verbis ostendit, quod per enormem injuftitiam, ac fumum nefas fuam Religionem abiicere adigeretur, hinc omnino petiit, ut fui eidem relinquerentur Sacerdotes, eique integrum foret, quod Miffæ Sacrificium, quamvis secreto, in suo tamen Palatio ulterius celebrari faciat. Attamen ab illo temporis articulo Rex ferme omnem erga illam affectum, ac venerationem exuere cœperat.

Sæcul. XVI.
A. C. 1551.

Referunt Scriptores, quod tum Varvicenfis Comes hac Regis indignatione opportune ufus animo constituerit, Mariam Principiffam a Regni fuc-
Burnet. hift. des revol. t. 2. l. 1. p. 267.
 cessione excludere, nam hic, cum ab Eduardo supremus Anglicæ classis Præfectus, ac Regiæ Domus Magifter creatus plurimum apud Aulæ Proceres auctoritate valeret, confilia cudere cœperat, quorum ope Anglici Regni jura in propriam fuam Familiam devolvere nitebatur: rem igitur ita inftuebat, ut Elifabetha altera Henrici VIII. Filia in quadam Regione extera matrimonio jungeretur, Maria vero a Regni Suc-
 ces-

Sæcul. XVI.
A. C. 1551
cessione arceretur: quo facto sperabat, fore, ut ex ejus Filiis unus Joannam de Gray natu majorem Dorseti Comitissæ & Franciscæ Brandonæ Filiam duceret, eoquod post ambas Henrici Regis Filias hanc ipsam Brandonam successio- nis ordo, ac jura proxime tangerent. Verum hæc Comitissæ consilia in irritum cecidere.

Eo tempore in Anglia quidam sæ- viebat morbus vulgo *Anglicus Sudor* di- ctus, cujus tanta erat violentia, ut eo- dem correpti intra viginti quatuor ho- rarum spatium vivis eriperentur, hoc- que anno Anglia quam plurimis, ali- quisque funeribus exhauriretur. Ea- dem hæc contagio Suffolciæ Ducem qui Caroli Brandoni, atque uxoris se- cundis nuptiis isti junctæ Filius erat, ab- sumpserat, & defuncto quidem successit- rat ejus Frater: ast eo etiam biduo post eadem infirmitate extincto, Suffolciæ Ducis titulus gemino hoc fato vacabat. Hæc considerans Warvicensis Comes eundem titulum Dorseto Joannæ Grayæ Patri attribuere, huic vero in Maritum destinare statuit Filium suum, eo fine, ut hoc pacto ad eum Regni diadema de- volveretur, si forte Eduardus, qui ali- unde infirma valetudine utebatur, fa- tis fungeretur.

§. VIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.*Actum de connubio inter Eduardum
Regem, & quamdam Galliarum
Regis Filiam.*

Interea de desponsando Eduardo Rege agebatur, eaque consilia vel maxime Varvicensis Comitis conatibus adversa erant: ast quorundam fert opinio, quod Proceres ejusmodi propositionibus juvenem Regem non nisi divertere voluerint, re tamen ipsa intenderint, ut ipse postmodum Elisabetham Henrici II. Franciæ Regis Filiam duceret: quinimo hujus rei negotium unacum Periscelidis Ordinis insignibus, quibus Regem Eduardus honorabat, Northantoniæ Marchioni demandatur, qui etiam in Franciam contendit, eumque comitabantur Vigorniensis, Ruthlandiensis, & Ormondianus Comites aliique quamplurimi Nobiles, præcipue vero Heliensis Episcopus, qui Sponsam a Rege petere jubebatur. Eo tempore Henricus II. Castro - Priantii agebat, Angliæ autem Oratores, ubi Nannetes pervenerant, inde ad Regis Aulam deducebantur, ac præprimis Northantoniæ Marchio utpote Legationis caput, Equestris Ordinis torquem Regi offerebat, & postea Heliensis Episcopus hæc subjunxit: „Huc adveni-

Hist. Eccles. Tom. XLI. Q „mus

Sæcul. XVI. „mus, ut ambo Regna ipso etiam con-
 A.C. 1551. „nubii vinculo arctius adhuc conjun-
 „gamus.„ Ad hæc respondit Cardi-
 nalis Lotharingius: Rex vero quosdam
 nominavit Deputatos, qui de matrimo-
 nii conditionibus cum Legatis agerent:
 Igitur utrinque conventum, quod Re-
 gis Filia dotis nomine bis centum au-
 reorum millia afferret, matrimonium
 vero *per verba de præfenti* necdum con-
 traheretur, nisi evoluto Mense, post-
 quam Sponsa duodecimum ætatis suæ
 annum attigerit. Ergo hæc pacta die
 decima nona Julii Andegavi firmantur,
 eorum vero executionem solus Eduar-
 di obitus præpediebat, nam hic anno
 post firmatum foedus nondum elapso re-
 bus humanis valedixerat.

§. IX.

*Varvicensis Comes Sommerfeto Ducis
 exitium machinatus.*

Thu 1. 8. hoc Rege adhuc vivente in Sommerfeto
anno Ducis vitam infidiæ struebantur,
Burnet. hist. nam hic olim erat Regni Protector: Var-
ref. 1. 1. tom. vicensis vero Comes tam potentem æ-
2. p. 271. mulum invido prorsus animo ferebat,
Sleid. comm. veritus, ne ipse rursus Regis gratiam
1. 23. p. 848. sibi conciliaret: nec vanus erat Comi-
 tis timor; quippe Sommerfetus prifi-
 nam, qua antea fulgebat, dignitatem
 recuperare totis viribus adlaborabat,
 imo

imo ipse Eduardus, cujus Avunculus Sæc. XVI.
 erat, semper adhuc magnam de illo A.C. 1551.
 existimationem conservabat, eumque
 persæpe publicis benevolentia signis
 usque adeo honorabat, ut illum Anno
 Domini millesimo quingentesimo quin-
 quagesimo e carcere liberari juberet: ut
 autem eundem quoque Varvicensi Co-
 miti, quem Rex Northumbriæ Ducem
 nuper creaverat, conciliaret, propo-
 suit nuptias inter Ducis filium, ac Pro-
 tectoris Filiam ineundas: verum hæc
 ipsa reconciliatio infirmo prorsus confi-
 stebat pede; quippe Varvicensis nullum
 non movebat lapidem, ut gravem Re-
 gis indignationem in æmuli sui caput
 accerferet. Valuit etiam successus;
 studiose enim cunctas illum vexandi oc-
 casiones quærebat, ut tandem illum de
 commisso quodam errore, ac delicto
 accuare posset: cum autem Sommer-
 setus ægerrime ferret, se singulis fer-
 me diebus novis exponi insultibus eo
 adhuc atrocioribus, quo studiosius ad
 illum irritandum fuissent excogitati,
 hinc sub officiosæ salutationis obtentu
 Northumbriæ Ducem adire, eumque
 trucidare statuit. Ergo ad ejus ædes
 accedit occulta lorica tectus, multisque
 armatis stipatus, quos in proximo cu-
 biculo subsistere jusserat: cum vero ad
 Ducem lecto adhuc decumbentem sum-
 ma

Sæcul. XVI
A.C. 1551.

ma amoris, ac benevolentiae significatione introduceretur, Sommersetus aliunde Vir primævo naturæ vitio timidus, mox pœnitentia ductus, quod destinaverat, exequi abhorruit, indeque re infecta discessit: dum vero a quodam suo Amico, cui abs dubio suum conceptæ necis consilium manifestaverat, prodebat, mox Rege assentiente, Judicibus traditur, ac die decima septima Octobris captus unacum pluribus aliis, qui hujus sceleris conscii accusabantur, in Londinensem turrim abstrahitur. Altera die etiam Ducissa ejus Conjux unacum duabus Nobilibus Matronis, quæ ei ab obsequio erant, pariter comprehenduntur, ac paulo post Arondelius Comes, necnon Pagetus idem quoque fatum subire cogebantur. Denique Sommersetus audito Palmeti amici sui testimonio die prima Decembris coram Regni Paribus comparere jubebatur.

§. X.

Sommersetus Dux capitis sententia damnatus.

*Rapin.
Thoiras hist.
d' Angl. t. 6.
l. 16. dans
cette annee p.
64.*

Porro accusationum capita ad tria duratim taxat redigebantur, inter quæ taxatim nulla omnino mentio fuit tacta de eo, quod is Northumbriæ ducem occidendi consilium cepisset: nam accusabatur.

fabatur. I. Quod Regem suæ potestati subicere, totiusque regni administrationem sibi vindicare fuerit molitus. II. Nortumbriæ Ducem per Viros armatos capiendi, atque in vincula coniciendi propositum conceperit. III. Londini seditionem concitandi consilia foverit. Ceterum Sommersetus circa primum, ac tertium accusationis articulum egregie suam vindicabat innocentiam, secundum vero caput penitus non diffitebatur, asserens, quod quibusdam verbis incautius prolatis suspicandi ansam præbuerit, perinde ac si perversa in Nortumbriæ Ducem, Nortantoniæ Marchionem, & Pembrockii Comitem machinaretur consilia. Hac confessione facta Regni Pares unanimi suffragio declarabant, quod Dux læsæ quidem Majestatis reus non esset, ob crimen tamen felonix (*) eum capitale plectendum censerent, abs dubio cuiusdam innixi legi jam antea regnante Henrico VII. latæ, qua constitutum erat, *ut si quis aliquem ex Regio Senatu*

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

Q 3

oc-

(*) Burnetus l. c. p. 273. affirmat, quod hic terminus Anglis omnino sit proprius, eo-que significantur crimina capitalia, quæ de posteris ad posteros transire censentur, ac mortis supplicio eluuntur.

Sæcul. XVI
A. C. 1551.

occidendi consilium cepisse deprehenderetur quamvis rem non perfecisset, felonix reus declararetur. Cæterum hæc eadem lex, quæ forte nunquam executioni fuit data, plus justo & quidem contra Ducem, Regni Parem, regisque Avunculum ab hisce Judicibus fuerat extensa; nam non deerant, qui Sommersetum Ducem mortis reum esse Eduardo persuadebant, quapropter securi percutiendus decernitur, quæ tamen sententia non nisi vigesima secunda Januarii anno sequenti effectui data fuit.

§. XI.

Concordia inter Scotiæ Viduam Reginam, & Pro-Regem.

Thuan. l. 8.
n. 7.

Interea Scotiæ Regnum ob pacem utrinque firmatam solida tranquillitate fruebatur, atque ipsa etiam Maria Regina Vidua, postquam integro anno in Galliis hærens rebus suis, quantum valuit, ibidem prospexerat, rursus in patriam suam revertebatur, universamque Angliam prætervecta secum Henricum Clutinium de Oisello Franciæ Oratorem sibi percarum, ac alioquin acris ingenii virum ducebat, tandemque appulsa, ac Proregem, qui cuilibet jus suum redditurus varias Regni Provincias peragrabat, secuta eum sollicitate

tare coepit, ut sese imperio abdicaret, Sæcul. XVI.
 idque, ut eo facilius illi persuaderet, A.C. 1551.
 eidem clam significari jussit, quod Regina jamjam adulta eum tandem ad reddendas administrationis suæ rationes adigere statuisset: Ut igitur Prorex suam, suorumque securitatem tutam redderet, in has condiciones cum Regina convenit I. Regina caveat, ut ea, quæcunque e defuncti Regis bonis usurpaverat, a Gallis ipsi condonentur. II. Eadem ipsum immunem a rationibus tutelæ reddendis præstaret. III. ab eo duntaxat juramentum exigeretur, quod ex redditibus illis, qui adhuc exstant, tantummodo reddat. In his pactis Prorex vicissim Castri-Eraldi in Pictavia Ducis titulo donatus est, adjecta duodecim millium librarum pensione. Præterea huic foederi ista adhuc addebatur conditio, vi cuius, si Regina sine liberis decederet, ipse proximus hæres decerneretur. Porro hæc pacta postmodum in Galliis confirmabant juvenis Regina, ejusque Curatores, qui erant Henricus Rex, Guisæ Dux, & Cardinalis Lotharingius ejusdem frater, quos Regina e Matris suæ sententia ad id nominaverat.

Nihilominus Jacobus Hamilton Araniæ Comes, ac Scotiæ Prorex cum

Q 4 ad-

Sæc. XVI.
A.C. 1551.

administrationis suæ finem instare cerneret, ad solitam animi sui inconstantiam relabebatur; cum enim consideraret, quam periculosum esset, si a suprema auctoritate, in qua suis vexationibus plurimorum invidiam sibi accerferat, ad vitam privatam redigeretur, ac multorum injuriis, necnon ob illata damna justæ eorum vindictæ exponeretur, hinc modo ad differendam promissi sui executionem obtentus quærere, morasque nectere, modo palam etiam profiteri cœperat, quod regni administrationem dimittere nollet, cum Regina nondum duodecimum ætatis suæ annum explevisset. Insuper Prorex, ne datæ fidei stare, vehementer urgebatur ab Archiepiscopo Sancti Andreano, spurio suo fratre, qui Proregem pro suo arbitrio moderabatur, nulloque pacto permittebat, ut is sese dignitate sua abdicaret: quapropter elusis Gallorum sollicitationibus, atque insuperhabitis comminationibus, quibus pensionis nuper eidem in Franciæ Regno constitutæ jactura intentabatur, Prorex tanta vi, ac pertinacia suo institit proposito, ut Regina Vidua Sterlinum secederet, ac Proregem ferme solum relinqueret, quod sane manifestum erat inditium, omnium animos ab eo esse alienos: quo-

quocirca & ipse paulo post ultro conditiones acceptare compellebatur.

Sæc. XVI.
A.C. 1551.

§. XII.

Camajanus pro exploranda Cæsaris mente a Papa ablegatus.

Hæc dum interim gerebantur, sum-
mus Pontifex bellum pertæsus Ver-
rallum Cardinalem tanquam Sedis A-
postolicæ Legatum in Franciam decre-
vit, ut Pontificem inter, & Henricum
II. Regem dissidia circa Parmensem
Ducatum componeret. Legato igitur
in Gallias abeunte interea Papa Car-
pium Cardinalem pariter Legatum ad
Cæsarem misit, ut illum de consiliis
cum Henrico II. agitandis certio-
redderet; ad omnem autem sinistra
suspicionis ansam Carolo V. præripien-
dam, jam antea Camajanum suum
Nuntium præmiserat, ut mandata Ver-
rallo data Cæsari exhiberet, notum-
que faceret, quod huic eidem Legato
a Papa disertis verbis injunctum fuisset,
ut nullum omnino concordiaæ pactum
acceptaret, nisi prius Octavius Farne-
sius Parmensis Ducatus possessionem
abdicasset. Insuper Camajano præci-
piebatur, ut Cæsari hujus Legationis
causam exponeret, eique significaret,
quod illa unice ideo fuisset decreta, ut
Pontifex paternum suum affectum Regi

*Pallav. l. 13.
c. 1. n. 7.*

Q 5

testa-

Sæcul. XVI. testaretur, quamvis exiguam prosperi
A. C. 1551. successus spem exinde sibi polliceretur,
 ob alienatum Regis animum: Præterea
 Camajanus erat jussus Cæsari indicare,
 quod Pontifex ad repulsam, quam fer-
 me certo se laturum opinabatur, bellum
 pro viribus prosequi firmiter statuisset
 ab ipsamet vero Cæsarea Majestate sua
 juxta invictum ejusdem Zelum ad tu-
 endam causæ æquitatem validas suppe-
 tias sibi promitteret.

Cum vero summus Pontifex gravi
 corriperetur morbo, ac proin Camaja-
 ni iter differre oporteret, mox consilia
 fuere mutata. Equidem Papa Bono-
 niam contendere decreverat, eo fine,
 ut bello magis vicinus esset, ac Syno-
 dum protegere posset; ipse enim Con-
 cilio interesse statuerat, ut cum Cæsa-
 re tum Oeniponti agente conferre, ac
 de rebus Ecclesiæ bonum concernenti-
 bus cum eo deliberare valeret: verum
 eoquod ex sparsis de turcica classe ru-
 moribus ingens terror Romanam urbem
 invaderet, visum est Pontifici, quod
 haud congrueret a Regia sua abesse,
 cum ejus præsentia oppido esset neces-
 saria, ut cives suos animaret, cunctis-
 que prospiceret periculis. Nihilominus
 tandem Camajanus Roma discessit, quem
 etiam Cæsar cum ingenti lætitia exce-
 pit, eique significavit, quod ipse
 quo-

*Pallav. l. 13.
 c. 1. n. 7.*

quoque, si Papa Bononiam pergere decerneret, eo venire haud cunctaretur, ut cum illo colloquendi copiam habere posset; de cetero autem Veralli legationem in Gallias sibi pergratam nec ullo pacto suspectam dicebat, cum & ipse non minori, quam ceteri ardore pacem exoptet. Porro cum Cardinalis Carpius quartana febris detineretur, evanuit ipsius ad Cæsarem legatio, Verallus vero, qui jamjam in Franciam lentis itineribus pergens, usque dum de Cæsaris voluntate constaret, in via subsistere jubebatur, tandem Mense Decembri ad Henricum Galliarum Regem pervenit, eumque die decima tertia ejusdem Mensis Fontis - bellaquei salutavit.

§. XIII.

Veralli Legati ingressus in urbem Parisinam, ejusque mandata Parliamenti tabulis inserta.

Evolutis aliquot diebus Verallus publice Parisinam Urbem solemniter pompa ingrediebatur, ibidem pro more ab omnibus Ordinibus exceptus: cum vero ejus mandata unacum Regio diplomate ad Senatum deferrentur, illa tabulis fuere inserta appositis iisdem conditionibus, quæ olim eisdem Ambassii, Gufierii, Pratensis, Farnesii, Sa-

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

Thuanus
hist. lib. 8.
Spond. in
annual hoc
anno n. 20.

Sæcul. XVI. Sadoleti & Sancti Georgii Cardinalium
 A.C. 1551. mandatis adiciebantur, additum ta-
 men insuper, ne Legatus munus suum
 per alios, sed duntaxat per se ipsum in
 Gallis exerceret, nec dignitates Epif-
 copalibus minores in Ecclesiis Cathe-
 dralibus, atque etiam in Collegialibus,
 in quibus formula capitis: *Qua propter,*
 servatur, cuiquam conferat, nec
 Canonicos, ne de collegiorum quidem
 consensu, spe in futurum gratiæ obti-
 nendæ, creet, nihilque faciat, quod
 sanctis decretis, pactis, juribus, pri-
 vilegiis, ac prærogativis regiis, im-
 munitatibus, & libertatibus Ecclesiæ
 Gallicanæ, & publicarum regni Scho-
 larum edictis, constitutionibus regiis,
 & Senatus consultis, ac nominatim e-
 dictis, quæ *parvas datas* vocant, de
 quibus infra sermo redibit, vel iis quæ
 Notarios Ecclesiasticos spectant, aut
 deroget, vel præjudicet, easque conditio-
 nes manu propria subscriptas, & in
 Curia acta referendas, impleturum
 se Regi cavere teneatur. Id actum est
 in Senatu exeunte anno die vigesima
 quarta Decembris.

§. XIV.

*Clericorum quærelæ contra edictum
 Tolosanum.*

Eo-

Eodem anno Galliarum Regi, qui tum Sæcul. XVI.
 Andegavi agebat, die octava Junii A.C. 1551.
 exponebatur, quod pessima consuetudo Thu. l. c.
 invaluisset, vi cujus in venditionum
 contractibus rerum pretia duntaxat au-
 reis persolvenda taxarentur, sicque au-
 rum omne ex Francia occultis extero-
 rum Mercatorum artibus sensim expor-
 taretur: eapropter sancitum, ut pretia
 in posterum in contractibus non aureis,
 sed unice libris Francicis æstimarentur.
 Præterea Senatus ante triennium die
 vigesima septima Octobris edictum pro-
 muigaverat, quo impudicitia Sacerdo-
 tum gravibus admodum, & ignominic-
 fis poenis, coerceretur, regis magi-
 stratibus potestate facta in eos animad-
 vertendi, eoquod Judices Ecclesiasti-
 ci connuere, & hujusmodi criminum
 castigationem negligere dicerentur.
 Hanc rem ordo Sacer gravissime tulit,
 ac querelis ab Episcopo Montalbanensi
 de Senatus Curia ad Regem, qui tum
 Ambasiæ erat, delatis tandem eo res
 perducta est, ut sanctioris consilii de-
 creto edictum illud revocaretur, & tan-
 quam contra Sanctos Canones & Eccle-
 siasticorum privilegia factum inducere-
 tur, negotiumque daretur Altolaro
 libellorum supplicum Magistro, ut de-
 cretum regium executioni mandaret,
 & injurias a Sacerdotibus acceptas pub-
 lice

Sæc. XVI. lice sarciret. Id quoque actum fuit hoc
 A.C 1551. anno die vigesima nona Aprilis.

Nec eo contenti Ecclesiastici librum ediderunt, quo Senatus Tolosani auctoritatem contumeliosis dictis perstringebant, cui Joannes Masencalus Curiae Princeps antiquæ gravitatis, & probitatis vir pro Senatus Curiae defensione respondit, edito hanc in rem libello, quo aculeate, atque adeo acerbe in mores Sacerdotum invehitur, ut propterea a Theologis Parisiensibus hic liber publica censura anno sequenti damnaretur, quinimo illius Auctor abs dubio famæ discrimen subiisset, nisi eum amplitudo sua, & integritatis opinio a calumniæ moribus vindicasset.

§. XV.

Congregatio Generalis post Sessionem XIV. Tridenti habita.

Sarpus hist. Trid. l. 4. p. 342. Pallav. l. 12. c. 15. n. 1. & 2.

Postquam decima quarta Synodi Sessio die vigesima quinta Novembris fuisset celebrata, Patrum studia eo vel maxime erant intenta, ut capita, quæ in proxima Sessione ad diem vigesimam quintam Januarij indicta definirentur, mature prius discuti possent: Altera autem die vigesima sexta Novembris generalis habebatur conventus, in quo actum est de *Missæ Sacrificio*, de
 Com-

Communione calicis, & parvulorum, & Sæcul. XVI.
 quamvis decreta jam essent confecta in A.C. 1551.
 Sessione illa, quæ quidem fuit secunda
 die Octobris indicta, sed tum dilata, vi-
 sum tamen Synodo, novam denuo per-
 tractationem ordiri, perinde ac si præ-
 sentes articuli quidem propositi, non
 autem decisi, minus vero in Sessioni-
 bus unanimi suffragio recepti, atque
 approbati fuissent.

§. XVI.

*Canones circa Missæ Sacrificium
propositi.*

Postea ex Patribus nonnulli designa- P. Nic. Ps.
 bantur, qui articulos ad futuras pag. 278.
 disceptationes colligerent, sique præ-
 primis proponebant septem, de quibus
 bis quotidie disputatum. Postea alii de-
 putabantur Patres, qui decreta confi-
 cerent, erantque isti Zagabriæ, quæ
 Croatiae est Metropolis, Episcopus,
 Ferdinandi Romanorum Regis Orator,
 Julius Phlugius Episcopus Numburgen-
 sis, ac præprimis Coloniensis Archie-
 piscopus, atque Elector. Porro hæc
 discussio usque ad Dominicæ Nativita-
 tis Festa protrahebatur, ac tum tre-
 decim conficiebantur Canones, quibus
 tanquam hæretici condemnabantur o-
 mnes, qui Missam nec verum esse Sa-
 crifi-

Sæc. XVI.
A.C. 1551.

crificium, nec vivis, aut defunctis prodesse asserunt, vel Missas, ut vocant, privatas, nec non ritus in Ecclesia Romana usitatos rejiciunt. Post proposita hæc anathemata quatuor condebantur Doctrinæ capita, quorum primo decernebatur, quod Sacerdotes in Missa verum Sacrificium a Christo Domino institutum offerant. Alterum hujus Sacrificii necessitatem explicabat, illudque cruento Crucis Sacrificio quodammodo simile declarabat. Tertium agebat de utilitate, & applicatione ejusdem Sacrificii. Quartum concernebat Missæ ritus. Verum de hisce articulis in duabus proximis Sessionibus nihil fuerat definitum, sed tota res ad Sessiones Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo celebratas fuit remissa, cum Pius IV. Papa Ecclesiam regeret, ac Synodum rursus profequeretur.

§. XVII.

Wirtembergenses Legati cum Tridentino Cardinale agentes.

Steid. l. 23.
p. 836.

Cum jam antea, ut supra memoravimus, Wirtembergici Ducis Oratores datis ad Dominum suum literis, quam agendi rationem in Synodo tenerent, sciscitati fuissent, tandem ipsis a
Du

Duce in mandatis dabatur, ut doctrinæ Sæcul. XVI.
 suæ confessionem publice exhiberent, A.C. 1551.
 ac quosdam Theologos dicerent esse
 venturos, qui copiosius omnia explica-
 re parati essent, dummodo juxta Ba-
 fileensis decreti normam Bohemis tra-
 ditam ipsis quoque publicæ securitatis
 literæ concederentur. Acceptis hisce
 mandatis Oratores, absente Comite
 Montfortio Madrucium Cardinalem, ac
 Tridentinum Episcopum conveniunt,
 ejusque patrociniū implorant, ut tu-
 to demandatæ potestatis literas exhibe-
 re, atque ad Synodi confessum admit-
 ti possent. Annuit Cardinalis, eos ta-
 men admonens, quod præprimis ea,
 quæ proponere vellent, prius Legato
 declarari oporteret; cum hic mos circa
 omnes Legatos hucusque fuisset obser-
 vatus, ac per illum specialiter fuisset
 cautum propter tumultus, quos Amio-
 tus Bellofanensis Abbas in Synodo sus-
 citavit, cum præter omnem expecta-
 tionem in Concilio comparens Gallia-
 rum Regis nomine contra Synodum re-
 clamaret. (*) Huic conditioni absque
 ulla

(*) Quam sublesta fide Continuator hæc
 ex Sleidano a se allegato deprompserit, haud
 clarius patere potest, quam ex ipsis hujus
 Scriptoris verbis, quæ huc referre cogor:

Hist. Eccles. Tom. XXI. R *Ww*

Sæcul. XVI. A.C. 1551. ulla difficultate sese submittebant Oratores, suasque literas Cardinali porrigebant, eidem exponentes, quod eo fine huc advenissent, ut suis Theologis eo modo, quo olim Basileensibus, ca-
veri

Wirtembergici Oratores, simul ac Tridentum venerunt, quod fuit ad exitum fere Octobris, Montfortum Comitem adeunt, suæque legationis fidem, exhibito diplomate, faciunt, ac sui Principis nomine velle quædam in Concilio proponere demonstrant. Ille, per colloquium eo spectabat, ut legatum pontificium putaret conveniendum: ipsi vero, si quid cum eo communicassent, eo pertinere videbant, quasi cognoscendi jus, & auctoritatem ei præcipuam tribuerent, in quo præjudicium, atque dispendium inesse videbant: abstinent igitur, & datis ad Principem literis, quid in eo fieri vellet, expectant.

Ergone adeo infigne erat facinus Amici protestatio, ut ad totius Nationis gloriam illam præter omnem Historiæ fidem iterato obtundere necesse sit? Cur ergo Continuator tantopere Concilii Tridentini celebrationem urgeri voluit, cur Pontifices falso incusat, quod illius celebrationem, licet pro universalis Ecclesiæ bono adeo necessariam retardaverint, si nunc gloriatur, quod etiam Catholici adversus illud reclamaverint, ejusque decreta non acceperint?

veri rogarent, nec non fidei confessionem Synodo exhibere ipsis injunctum esset, ut eam Episcopi pro temporis opportunitate discuterent, ac unacum Protestantium Theologis hac securitate munitis, necnon proxime venturis conferre possent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

§. XVIII.

Legati responsum ad Cardinalem Tridentinum circa hosce Oratores.

Hac super re Tridentinus Cardinalis cum Legato conferebat, hic vero eidem mandata, quæ ipsi nuper Pontifex circa Protestantium postulata transmiserat, exhibuit, atque inter cetera eidem hæc exposuit: „Haud tolerandum est, quod Sectæ suæ professionem exhibere ipsis concedatur, minus vero permittendum, ut illam etiam propugnare audeant; nunquam enim altercationibus finis imponi posset: sufficit igitur, quod Patres doctrinam in Lutheri libris contentam sedulo examinent, illamque, si fidei Catholicæ adversamprehenderint, condemnent: si vero aliqua dubia Protestantibus proponere voluerint, id etiam omnino eisdem erit integrum, dummodo modestè, ac circumspècte agant, ac Synodi doctrinam, & monita dō-

R 2

„cili

Sæcul. XVI. „cili animo excipere parati sint : porro
 A C 1551. „id , quod promissæ securitatis literas
 „attinet , res prorsus hucusque vix au-
 „dita est , quod fidei ab ipsa Synodo
 „ipsis jamjam datæ fidere dubitent , un-
 „de novas ejusmodi literas , absque
 „Concilii contemptu , ac injuria exige-
 „re haud valent.

Accepto hoc responso Wirtembergi-
 ci Oratores paucis post diebus Francif-
 cum Toletanum , alterum Caroli V.
 pro hæreditariis Hispanici Regni ditio-
 nibus Legatum convenerunt , eumque
 impense rogarunt , ut sua , qua valeret
 auctoritate Synodum eo inclinaret , qua-
 tenus eorum mandata , ac propositio-
 nes exciperet. Hanc in rem Toletanus
 cum Legato conferebat : verum eidem
 haud aliud responsum quam nuper Car-
 dinali Tridentino , datum ipsis Oratori-
 bus referendum impetrare valuit ; qua-
 propter Toletano non aliud supererat
 medium , nisi ut ad neccendas moras
 opportunos prætextus , atque excusa-
 tiones quæreret. (*)

§. XIX.

(*) Adeo dubia est hujus relationis fides,
 ut ipse Continuator nullum illius testem alle-
 gare ausus fuerit.

§. XIX.

Sæc. XVI.
A.C. 1551.

Argentinae, aliarumque Protestantium Urbium Oratores Guiljelmum Pictavium convenientes.

Cum vero colloquiis cum Cardinale Madrutio, & Toletano habitis minus prosper adspiraret successus, inde Argentinensium, ac quatuor Protestantium Imperii Urbium, nempe Eslingensis, Ravenspurgensis, Roeithlinganae, Bibracensis, imo & Lindaviensis Deputati concludebant, omnino conveniendum esse Guiljelmum Pictavium tertium pro Belgii Provinciae Caroli V. Legatum. Hic ne in easdem cum Cardinale, ac Toletano difficultates incurreret, demandatae potestatis literas, quas Deputati afferebant, ad Cæsarem transmittendas recepit, eosque rogavit, ut paucis adhuc diebus expectare vellent, donec ex Cæsaris aula responsum afferretur: Pictavius vero in suis literis Imperatori hæc exponebat: „Legati repugnantia, „qua Protestantes excipere cunctatur, „Cæsarei nominis dignitati derogat, „cum Sacra sua Majestas illis fidem dedisset, eos in Synodo perbenigne exceptum iri; ex hac insuper repulsa „Protestantibus tam de sua Majestate, „quam de Synodo querendi ansa, ac

R 3

su-

Sæcul. XVI „susplicandi occasio præbetur, perinde
 A. C. 1551. „acsi non jam pro amicis, sed potius
 Sarpinus l. 4. „pro mancipiis habendi essent, id vero
 pag. 343 „tam Concilii, quam Cæsaris honori
 Sleid. comm. „minime convenit, Verum Cæsar, cum
 l. 23 p. 835. Pontificis æque, ac Concilii favorem
 Pallav. l. 12. conservare rebus suis oppido necessa-
 s. 15. n. 2. rium duceret, hæc monita flocci ha-
 bens id unice in responsis dabat: „do-
 „nec Mauritij Saxoniae Electoris Ora-
 „tores advenerint, Wirtembergicos,
 „ceterosque Legatos benigne excipia-
 „tis, singuli vero Protestantes sibi per-
 „suasum habeant, eos suo tempore au-
 „diendos.

§. XX.

*Maximilianus Romanorum Regis Fi-
lius Tridentum veniens.*

Sleidan. l.
 23. p. 842.
 Pall. cap. 15.
 n. 3.

Ceterum inter rationes, ob quas Sy-
 nodi Patres omnibus Protestantium
 postulatis cedere differebant, haud in-
 fima erat, quod ultro ad mitiora de-
 scensuri sperarentur, ope, ac ministerio
 Maximiliani Principis, qui Bohemiae
 Rex, ac Ferdinandi Romanorum Re-
 gis Filius erat. Hujus adventus jam
 dudum expectabatur, tandem vero die
 decima tertia Decembris unacum Maria
 Austriaca uxore sua, Caroli V. Cæsa-
 ris Filia, suisque liberis Tridentum per-
 venit.

venit. Ingredebatur urbem cum in-Sæc. XVI.
genti, ac magnifica prorsus pompa, A.C. 1551.
eidemque Legatus, duo Nuntij, Præ-
fules tam Itali, quam Hispani præter
nonnullos Germaniæ Prælatos quin-
quaginta ferme passus extra urbem ob-
viam procedebant: non tamen ibi ade-
rant S. R. I. Electores, qui eundem
officiose salutaturi ad ejus Palatium ac-
cesserant: Igitur Princeps medius Le-
gatum inter & Cardinalem ibat, quem
Regina in lectica sequebatur, ambo
vero in Cardinalis Palatio diversaban-
tur. Altera post adventum die Joanes
Gropperus contra Lutheri Sectato-
res disputans graviter in Melanchtonem,
& Bucerum, licet mortuum, invehebatur:
hac autem de re Sleidanus Argentinensium
Deputatus cum Pictavio Oratore conferens
querebatur, qui eidem hæc respondit: „invitis
Synodi Patribus hæc fiunt, ac eorum,
Cæsarisque menti adversantur; hi enim
potius desiderant, ut veritas per
lenitatis, ac moderationis viam quæra-
tur, ac nemini ulla offensionis causa
præbeatur,“ (*) Pariter Protestantes
R 4 apud

(*) Hæc Continuator ex Sleidano de-
promptit, qui tamen Continuatore magis in-
genuus, candide fassus est, quod hi Catholi-
ci

Sæcul. XVI. apud Maximilianum Principem, quod
A. C. 1551. ad Legati alloquium non fuerint admif-
 fi, querebantur, rogabantque, ut eo-
 rum cauffam in fe fufciperet: Verum
 Maximilianus illos ad patientiam ad-
 hortatus fe illorum negotia apud Cæfa-
 rem Patruum fuum promoturum spo-
 spondit, ac denique poft tridui moram
 re infecta Tridento difceffit.

§. XXI.

*Moguntinus, ac Trevirenfis Electo-
 res a Synodo difcedere parati.*

Memoir. de Sub idem tempus quosdam tumultus
Vargas in Germania fuiſſe fufcitatos ſperge-
lettre de D. batur, quo rumore excitati Mogunti-
Fr. de To- nus, ac Trevirenfis Electores Synodum
lede a l'Eve- relinquere, ac in patriam reverti ſtatu-
que d'Arras bant. „Divulgata tam inopini difcef-
du 20. Dec. ſus fama, ut inquit Franciſcus Tole-
pag. 210. „tanus in ſua ad Episcopum Atrebaten-
Sleid. l. 23. „ſem epiftola, ingentes in urbe tumul-
pag. 845. „tus, curasque excitat. Ea, quæ au-
 „dio, & ab aliis referri intelligo, ti-
 „morem mihi incutiunt, ne alii præſen-
 „ti rerum viciffitudine abutendi occa-
 „ſionem

ei Doctores, adverſariorum exemplo laceſſiti
 forſitan id fecerint, ac Lutheri Sectatores mul-
 tis nunc annis in hoc diſputandi genere debaccha-
 ti fuerint.

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

„fionem fumant, atque alios adhuc ad
 „sua revertendi prætextus quærant: in-
 „viti enim ad Synodum accesserunt, ac
 „non sine repugnantia ibidem perfistunt:
 „Ast sive abierint, sive permanierint,
 „semper tanti momenti res agitur, ut
 „Sacra sua Majestas Cæsarea abs dubio
 „omni malo sit prospectura, brevique
 „nobis hac super re responsum datura.
 „Legatus quoque Nuntium ad Papam de-
 „crevit, qui præsentem tumultum ab E-
 „lectoribus suscitatum eidem significaret:
 „Ast meo judicio nec Papa, nec ejus
 „Ministri horum Electorum discessum æ-
 „gre ferrent. Verum in hoc suo judicio
 hic Legatus multum errabat; quippe
 Pontifex mox datis ad utrumque Ele-
 ctorem literis illos impense rogabat,
 quatenus Tridenti persistere vellent.
 Scripsit Papa hanc epistolam die vige-
 sima quarta Decembris, nec minus Im-
 perator misso ad Franciscum Toleta-
 num diplomate eidem injunxit, ut hos-
 ce Electores a suo proposito avertere to-
 to conatu adlaboraret. Ceterum nil
 aliud hanc in rem existat præter man-
 dati a Cæsarea Majestate sua Toleta-
 no dati literas utrique Electori traden-
 das. Dabantur illæ Oeniponti eadem
 die, qua prior Francisci Toletani epi-
 stola ad Atrebatensem Episcopum erat
 perscripta. Porro Cæsaris epistolæ erat

Sæcul. XVI
A.C. 1551.

hic tenor : „Electoꝛibus Moguntino, &
„Trevirensi Carolus &c. Venerabilis
„Princeps, noster Avunculus Charif-
„simus &c. Injunximus Charissimo no-
„stro Francisco Toletano Legato nostro,
„atque ad Tridentinum Concilium De-
„putato, ut nostro nomine iis de re-
„bus, quæ ab eo oretenus percipietis,
„vobiscum ageret; quapropter vos hor-
„tamur, ut omnibus, quæ vobis nostro
„nomine exponet, fidem adhibeatis,
„sitisque persuasi, quod hac in re no-
„stram adimpleatis voluntatem, rem-
„que nobis gratissimam facturi sitis,,
Datum Oeniponti die vigesima Decem-
bris Anno Christi millesimo quingente-
simo primo, Imperij nostri trigesimo
primo.

§. XXII.

*Diploma Pontificis hosce Electores
Tridenti permanere jubentis.*

Nicol. Psalm. aſt. Conc. Trid. p. 281. Pontifex in suo diplomate hæc signi-
ficabat: *Venerabiles Fratres salutem,
& Apostolicam benedictionem. Magnam
nuper molestiam nobis attulerunt literæ di-
lecti filii Marcelli, Cardinalis Crescentii,
Legati nostri, & venerabilium Fratrum
Prælatorum Sacro Oecumenico Concilio
præsidentium, per quas certiores facti su-
mus novos quosdam motus in finitimis fra-
terni-*

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

ternitatum Ecclesiarum vestrarum locis concitatos, ex quibus tam & alicæ Ecclesiæ detrimentis, & calamitatibus non mediocribus affectæ fuerunt, & in ipsos Moguntinenses, & Trevirenses grave immineat periculum: in tanta tamen, ac inopinata re, ea nobis occurrit consolatio, quod charissimus in Christo Filius noster Carolus, Romanorum Imperator semper Augustus Unus omnium tam nostra, quam Patrum memoria maximus, & potentissimus hanc causam non solum communem, sed etiam propriam existimare debeat, & ejus opibus, consilio, & auctoritate, facile hujusmodi tumultus sedari, & extingui posse speremus. Ad quam curam eum in vos cogitationes suas conversurum minime dubitamus, cum ut nobilissimæ illius regionis incolunitati consulat, tum ut suo ipsius Imperio hanc tam seditiosarum factionum pestem arceat, quod illi haud quaquam difficile fore arbitramur, cum illam nefariam tumultuariorum militum manum nulla recta ratione subnixam surandi ansam sumere intelligamus: quare per se ipsam delapsuram, & ejus omnes conatus brevi in irritum casuros facile, ut credamus, adducimur.

Vos quidem Fratres, cum ex eisdem literis acceperimus in animo habuisse, isthinc discedere, ut Ecclesiis vestris open ferretis, talem divina adjuvante Clementia earum Seditionum exitum fore confidimus, ut ipsis
etiam

Sæc. XVI
A.C. 1551

etiam spretis Tridenti maneatis Dei operi
insistentes, ad quod vos magnoperehortamur; & quoniam Concilium Oecumenicum
vestra imprimis præsentia, & autoritate
prosperos usque huc habuit progressus, pro
singulari prudentia, & pietate vestra, cogi-
tetis velim, ne ipsius Concilii tam exoptati
omnibus nationibus, & ab ipsa præcipue
germania efflagitati, & in quo orthodoxæ
religionis, atque otii, & tranquillitatis u-
niversæ reipublicæ Christianæ stabiliendæ
spes certissima reposita esse debet, causam
deseratis: neque enim dubitandum est, quin
ex vestro discessu, tam sanctorum, tam sa-
lutare, tam necessarium opus quodammodo
titubare incipiat, cum vester adventus ei
tantum attulerit adjumenti. Atque ut eo
libentius permaneatis, & Concilii ipsius
acta securiore animo prosequamini, illud
sciatis volumus, ad omnem periculi metum
funditus tollendum (quod facere neque ante
unquam desuimus) in præsentia nihil a nobis
prætermitti, neque officij, neque sedulita-
tis, quo inter Christianos Principes pax, &
gratia reconcilietur. Immensa Dei præpo-
tentis benignitate, ac misericordia, cum in
ejus manu sint ipsa Regum corda, & Con-
cilia, brevi successurum confidimus, quam
ob rem si (ut nobis persuademus) fraterni-
tates vestræ publicam Christi Redemptoris
nostri, & Religionis Catholicæ causam,
quibuscunque privatis vestris rationibus,
qui-

quibus etiam absentes ipso præsertim Cæsare adjuvante prospicere poteritis, potio-
rem duxeritis, præterquam quod & ipsius Dei gratiam promerentur, nobis etiam, qui
vos paterne diligimus, vestrumque honorem quantum cum Deo poterimus, augere cupimus, plurimum satisfacietis.

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

§. XXIII.

*Congregatio pro discutiendis articulis
de Sacramento Ordinis habita.*

Peractis Nativitatis Dominicæ solem-
niis generalis habebatur Patrum
congregatio, in qua de Sacramento
Ordinis agendi modus discutiebatur.
Hanc in rem Veronensis Episcopus ex
Præsidibus unus ita perorabat: Equi-
dem circa Sacramenta tam in Theolo-
gorum quorundam doctrina, quam in
solito illa administrandi, vel recipiendi
modo quædam occurrunt emendanda,
verum in Sacramento Ordinis ingens
fese pandit Oceanus. Hoc idem postea
alii exaggerabant Patres, (*) demum
que

Nicol. Pfal.
l. c. p. 279.

(*) Hæc Continuator non ex Nicolao
Pfalmaeo, quem allegat, sed ex suo Sarpio,
quem tamen citare erubescit, defloravit: Hic
autem hæc duntaxat profert: *ingenue pro-
fessus*

Sæcul XVI. que sancitum, ut ordo jam antea præ-
A.C. 1551. scriptus servaretur, ac primo articuli
 ex Lutheri doctrina decerpti propone-
 rentur, ut contra eos Capita, ac Ca-
 nones confici possent, postea vero de
 corruptelis ageretur. Hi itaque arti-
 culi ad sex redigebantur, quorum pri-
 mus erat: *Ordo non est Sacramentum,*
sed ritus quidam eligendi, & constituendi
ministros verbi, & Sacramentorum, immo
quod Ordo Sacramentum sit, figmentum est
humanum excogitatum ab illis rerum Eccle-
siasticarum imperitis.

II. *Ordo non est Sacramentum, nec in-*
fimi, & medii Ordines velut gradus quidam
tendunt in Sacerdotii ordinem.

III. *Nulla est Hierarchia Ecclesiastica,*
sed omnes Christiani ex æquo sunt Sacerdo-
tes, & ad usum, seu executionem, opus est
vocatione magistratus, & consensu populi.
Et qui Sacerdos semel sit, is laicus rursus
potest fieri.

IV. *Non est in novo Testamento Sacer-*
dotium visibile, & externum, neque pote-
stas aliqua Spiritualis, sive ad conservan-
dum Corpus, & Sanguinem Christi, sive
ad offerendum, sive ad absolvendum coram
 Deo

fessus est Veronensis Nuntius ubique esse ab usum
aliquem emendationis egentem, hic vero esse
abusum oceanum, quos postea complures tragi-
sis exclamationibus essent execrati.

Deo a peccatis, sed officium tantum, & ^{Sæcul. XVI.}
 ministerium prædicandi Evangelium, & ii, ^{A.C. 1551.}
 qui non prædicant, prorsus non sunt Sa-
 cerdotes.

V. Unctio non solum non requiritur in
 Ordinum traditione, sed est perniosa, &
 contemnenda, similiter & omnes aliæ cere-
 moniæ, & per Ordinationem non confer-
 tur Spiritus Sanctus, proinde impertinen-
 ter Episcopi, cum ordinant, dicunt, ac-
 cipite Spiritum Sanctum.

VI. Episcopi jure divino non sunt in-
 stituti, neque presbyteris superiores, neque
 habent jus ordinandi, aut si habent, id est
 illis commune cum presbyteris, Ordinationesque ab ipsis factæ sine plebis consensu irri-
 tæ sunt.

Postquam igitur præfati articuli fue-
 rant examini subjecti, prout jamjam in
 aliis Congregationibus factum, denuo
 præcipiebatur, ut sententiæ per Theo-
 logos dicendæ, deducantur (ut alias
 præscriptum est) ex sacris Paginis, tra-
 ditionibus Apostolicis, Sacris, & ap-
 probatis Conciliis, ac Summorum Pon-
 tificum, & Sanctorum Patrum consti-
 tutionibus, nec non ex autoritatibus,
 & Ecclesiæ Catholicæ consensu &c.

Demum vero post longam, atque
 accuratam discussionem Patres circa
 Sacrificium Missæ tredecim, circa Sa-
 cramentum autem Ordinis octo condi-
 derunt

Sæcul. XVI. derunt Canones, quibus confectis do-
A.C. 1551. trinæ capita de necessitate, & Ordinis
 institutione, de externo, ac visibili
 Ecclesiæ Sacerdotio, de Hierarchia
 Ecclesiastica, & discrimine inter Epif-
 copos, & Presbyteros conficiebant,
 eaque decreto de Sacrificio Missæ in-
 ferebant, ut præter Canones in proxi-
 ma Sessione promulgarentur: id tamen
 effectui haud datum videtur.

§. XXIV.

Saxonici Electoris Oratores Tridentum venientes.

Steid. comm. Anno Domini millesimo quingentesimo
l. 23. p. 843. **A** quinquagesimo secundo die septima
646. Januarij Wolfius Colerus, & Leonardus
 Badehornus Juris consultus, ambo Mauri-
 tii Saxoniae Electoris Legati Tridentum
 ingrediebantur. Horum adventu re-
 creabantur Germaniæ Episcopi, præ-
 primis vero Caroli V. Cæsaris Legati,
 necnon tres S. R. J. Electores tum Sy-
 nodo præsentis, qui jam de Mauritio,
 cum pacis consilia sequeretur, nihil
 amplius eorum ditionibus pertimescen-
 dum credebant. Enimvero hic Prin-
 ceptum animum ad concordiam propen-
 sum simulabat, tamque piam præfere-
 rabat voluntatem, ut inde Electores
 omnem metum deponendi rationem ha-
 bere

bere viderentur : quinimo ipse etiam Imperator ad sedandas eorum curas haud parum conferebat , cum literas ad illos daret hunc in modum conceptas : *malum , quod timetis , minus est , quam existimatis , & si quid est , paucorum rebellium , ac seditiosorum est conatus , quem major urbium pars improbat . De Mauritio quidem multa fuit etiam fama nunc aliquamdiu , quæ fortassis originem inde habet , quod illas copias , quæ post deditioem Magdeburgicam collectæ , damnnum alicubi dederunt , ipse Mauritius duxisset antea . Ast hic idem , missis ad me literis non ita pridem , & legatis etiam , omne studium pollicetur : imo hoc ipso tempore , duo quidam ejus Legati cras hinc Tridentum ibunt , Concilii causa : nuntiavit præterea Mauritius , se gravibus , & necessariis quibusdam de rebus ad me venturum , & certis indicis cognovi , fore , ut bodie , vel cras ad summum Magdeburgo profectus , iter suscipiat : denique tam prolixè , & ample de suis officiis mihi pollicetur , ut nihil ab eo , nisi præclarum expectare debeam , si modo fides ulla superest adhuc in rebus humanis . Et cum genere sit , atque origine Germanus , adduci non possum , ut tam sinistra eum agitare consilia credam . De copiis quidem illis , quæ in Thuringia agentes in Mo-*

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.

Hist. Eccles. Tom. XLI,

S gun-

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.
guntinam ditionem eruperunt, delata mihi sunt quidem multorum querimonia, ac solliciti sunt ordines quidam, ne promotis castris majorem illæ calamitatem faciant, sed postea intellexi, propter non soluta stipendia, concursum, atque vim ab illis fieri, missis legatis, atque præfectis mandavi, darent operam, ut æs militare quocunque modo constata pecunia, illis persolveretur, nec id modo, sed ad Mauritium quoque datis literis, pro ea pecunia, quæ deberetur, fidem ei meam obstrinxi, modo miles dimitteretur, & id quidem feci, non quod tenerer, sed quia Germaniæ tranquillitatem inprimis amo.

Interim ego pro republica diligenter excubabo, & quantum ingenio possum, atque facultatibus, conabor, ut incendium tempestive vestinguatur, ac civilibus malis oppressis, & auctis viribus, externum bellum eo facilius defendi possit, vobisque liceat, finibus vestris pacatis, & recuperata tranquillitate, rei-publicæ Christianæ negotiis omnino vacare.

§. XXV.

Oratores Saxonici apud Cæsaris
Ministros.

Sleid. l. c.

Tertio post adventum die Mauritii Electoris Oratores cum Caroli V. Legatis

gatis agere cœperunt, eisque sua mandata, agendique facultates exhibuerunt. His quoque sese Wirtembergensis, aliarumque Protestantium Urbium Deputati adjugebant, unitisque viribus communem causam agere decernebant: eorum tamen nullus Cardinalem Legatum, aut duos Papæ Nuntios salutatum ibat, verebantur enim, ne hoc obsequio supremam auctoritatem, quam Pontificem sibi in Synodum arrogare perperam asserebant, agnovisse crederentur; quapropter statim Cæsaris Ministros conveniebant, rati, quod duntaxat horum, atque Electorum Ecclesiasticorum opera, nec non ministerio Tridentini Cardinalis S. R. Imperii Principis, ac Saxonix Electori eorum Domino carissimi res esset perficienda: Igitur sui Principis nomine Caroli Ministris declarabant, quod Saxonix Elector Religionis dissidia tandem dirimi percuperet, hancque in rem non minus, ac ceteri Protestantium Principes, paratus esset suos ablegare Theologos, Virosque idoneos, atque ad reddendam Ecclesiæ pacem propensos, dummodo ipsis eo modo, quo olim Basileensibus, caveretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

§. XXVI.

*Protestantium Conditiones Synode
propositæ.*

Postea petebant, I. ut a questionum controversarum decisione cessaretur, usquedum eorum Theologi, qui nonnisi quadraginta miliaribus Tridento distarent, adventuri essent. II. Cum illi venerint, antea acta omnia retractentur, & dies confessui designatus prorogetur. III. Concilium habeatur, in quo nationes omnes, atque populi conveniant: IV. Nec Præsidiî auctoritatem sibi summat Pontifex, verum Concilio se submittat, & jusjurandum Episcopis omnibus remittat, ut liberæ sint omnium in Concilio voces, & minime præpedita judicia: hæc etiam se, cum visum fuerit, in cœtu Patrum velle copiosius explicare subjungebant, postea petebant, ut eodem modo, ac Brandeburgici Electoris Oratores, etiam ipsi reciperentur: His expositis Caroli Cæsaris Ministri hosce Deputatos amplaspe lactabant, quinimo eis quoque spondebant, quod juxta eorum vota essent excipiendi.

§. XXVII.

*Pontificis mandatum de recipiendis
Protestantibus.*

Ve-

Verum Synodi Præsides ab initio minus faciles fuisse videntur; legitur enim in quadam Francisci Vargæ epistola ad Episcopum Atrebatensem, quod Legatus nullum non moverit lapidem, ne novas publicæ fidei literas concedere cogeretur, hancque in rem Synodi sigillum occultaverit, ne illud libero Patrum usui relictum esset, prius tamen hoc in negotio Pontificis voluntatem explorare voluerit, quod re etiam ipsa præstitit, cui tamen Papa hunc in modum respondit: „haud utiliora vobis suadere valeo, nisi ut ea, qua poteritis, dexteritate a sinistro hoc consilio recedatis, ac in quibusdam cedere velitis, ne simplicibus suspicandi ansam præbeatis, perinde ac si nimia Romanæ Curiae celsitudo pacis consilia evertisset,“. Insuper Papa Legato, ac utrique Nuntio negotium dabat, ut magis charitatis legibus, quam Apostolicæ sedis Majestati intenti Protestantium postulata, licet minus æqua, admitterent, salva tamen Religione: „Si enim, prosequeretur Pontifex, „Paulus III. Papa Prædecessor meus „Nuntium suum ad Protestantes ablegare non dubitavit, etsi hic ab eis nil nisi repulsam, & contemptum sperare potuerit, cur nos potiori nomine non toleremus arrogantes eorum pro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Mem. de
Vargas p.

400.

Pallav. l. 122
c. 15.

Sæcul' XVI
A.C. 1552. „positiones , superbamque agendi ra-
„tionem , cum ipsi hodieum ad nos ve-
„niunt.

§. XXVIII.

Dubia circa Protestantium postulata.

Paltav l 12.
c. 15. n. 10.
Et II.

Cum Pontifex eodem tempore Mini-
stris suis præciperet, ne circa fidei
articulos cum Protestantibus ore tenus,
vel calamo publice conferrent, (*) hinc
Legatus juxta hæc mandata Protestan-
tes excipere voluit, eisque spem fecit,
illos publice esse audiendos. Insuper
Legato persuadebant alii, ne ab eis exi-
geret, ut ipsum salutatum adirent, an-
tequam in Sessione comparuissent: ve-
rum Cæsaris Ministri haud ægre de iis,
quæ Protestantes a Synodo petebant,
Legatum certiozem reddebant, eo fine,
ut animo magis præparato eorum pro-
positiones excipi possent, nec timenda
esset schismatis haud unquam reparan-
di occasio, eo prorsus tempore, quo
de pace stabilienda ageretur: Cum ve-
ro Protestantes sibi aliam securitatis
cautionem dari primo loco peterent,
hinc

(*) De hoc Pontificis mandato præter
Continuatorem nullus Scriptorum alius men-
tionem facit.

hinc Legatus (*) cui hæc petitio haud Sæcul. XVI.
 inexpectata acciderat, proinde de op- A.C. 1552.
 portuno responso commode delibera-
 re poterat, verba in prioribus publicæ
 fidei literis expressa mutare renuebat,
 affirmans, quod perperam Concilium
 Constantiense allegaretur, cum nequa-
 quam illud, sed Sigismundus Impera-
 tor ejusmodi literas Joanni Husso con-
 cessisset, ut proinde illa Synodus, cum
 nihil eidem promiserit, nec etiam da-
 tam fidem violasset. His addidit: „e-
 „quidem fides publica Basileæ Bohe-
 „mis fuit data, verum id factum est in
 „Sessione quarta, eo scilicet tempore,
 „quo hæc Synodus erat schismatica,
 „atque a Pontifice damnata, unde illa
 „nequaquam cum Concilio legitimo,
 „quale est Tridentinum, conferri potest.

S 4 II.

(*) Observes velim, quod Continuator
 hoc responsum a Synodi Legato datum fuisse
 pro suo arbitrio comminiscatur, cum tamen
 Pallavicinus id a Patribus fuisse datum, dunta-
 xat coniciat, affirmans: *Sed a Patribus, quan-
 tum assequi conjectura possum (nam in Actis de
 hoc perpauca) respondebatur, fidem publicam
 Basileæ fuisse &c.* de cetero optandum foret,
 ut Continuator majori cum integritate secutus
 fuisset Pallavicinum, quem hanc ob rem con-
 sulere haud incongruum erit.

Sæcul. XVI. II. Postulabant Protestantes, ut articuli jam decisi rursus examini subiicerentur: verum hæc petitio prorsus iniqua censebatur; cum Concilia generalia falli nequeant, nec eorum decisiones novæ discussioni subiici possint. Insuper etiam respondebant Patres, infulse opponi, quod Tridentinum Concilium non sit generale, sed particularis duntaxat conventus, eoquod plures diversorum Regnorum Episcopi (*) abessent, ad hoc enim respondebatur: *si aliquorum absentia post indictum Concilium satis esset ad abrogandam illi auctoritatem Oecumenici, liberum cuicumque*

(*) Rursus Continuator Pallavicini verba depravavit, cum hic nequaquam dicat *plures diversorum Regnorum Episcopos* abfuisse, sed duntaxat, *integram Gallorum nationem abesse*, cum autem Continuator Concilium Tridentinum tanquam Oecumenicum non admittat, magis e re sua erat, Lectori obtrudere, quod plures diversorum Regnorum Episcopi ab hac Synodo abfuerint, nullus enim prudens censuisset, Synodum aliquam propterea non esse Oecumenicam, aut quod unius duntaxat Nationis, ad Synodum tamen vocatæ absentia culpabilis Oecumenici Concilii auctoritati deroget. En! quam caute legendus sit Continuator.

que esset eam impedire, & vix ex tota antiquitate produci posset Concilium, de quo id ipsum quoquo modo in controversiam adducere non liceret. Ex quo inferbatur, quod articuli jamjam decisi ab omnibus omnino recipiendi sint.

§. XXIX.

Aliæ difficultates circa petitam publici colloquii copiam.

Cum Protestantium Deputati publice audiri peterent, ad hæc Pontificis Ministri hunc in modum respondebant: „Id vobis jamjam promissum fuit, proin-
„nec denegari potest: petimus tamen
„ut vicissim Protestantes prius veneren-
„tur illos, qui nomine Pontificis Con-
„cilio præsunt. Id enim disertis verbis
„fuit injunctum, quamprimum Wirtem-
„bergici Oratores advenerant; si enim
„hoc facere recufaveritis, declarat Sy-
„nodus, quod sese separare, atque
„omnibus Patribus ad sua redeundi
„facultatem dare velit. Cæsar hanc
repulsam edoctus, veritusque, ne inde Synodus dissolveretur, suis Legatis, ac Cardinali Madrutio nova dedit mandata, jussitque, ut ad placandum Legatam, & Nuntios nil intentatum relinquerent, imo & precibus, ac monitis minas etiam Cæsar's nomine adde-
rent,

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

rent, si ita forte necessitas deposceret. Jussa Cæsaris integra fide Ministri exequuntur, unde nec precibus, nec accerrimis parcunt sollicitationibus, tandemque Legatum eo inducunt, ut Protestantes non quidem in Synodo, sed in Generali Congregatione, quæ in ejus Palatio habebatur, recipiendos assentiret, simulque pro hoc conventu diem vigesimam quartam Januarii assignaret. Composito hoc articulo adhuc alius supererat de differendo examine illorum capitum, quæ in proxima Sessione discuterentur: id ut pariter a Legato impetraret Franciscus Toletanus, nullum non movit lapidem, cum autem hic constanter renueret, Orator reposuit: „Sæpius in Concionibus audiui, „unius animæ Salutem Christo esse a „deo charam, ut ad eam lucrificien- „dam detrectaturus non esset, alteram „mortem Crucis facta e coelo descen- „sione subire: ubi vero ista est Christi „imitatio, quando ad totius Germaniæ „salutem modici temporis mora dene- „gatur? Excusabat tamen se Legatus, quod a Pontifice aliter imperatum esset, cujus dicto se haud posse resistere affirmabat.

§. XXX.

§. XXX.

Sæcul. XVI.

A. C. 1552.

*Definitio capitum controversorum ex
Legati consensu dilata.*

Cum autem Toletanus rursus instaret, ipseque etiam Lippomanus Veronensis Episcopus, ac secundus Papæ Nuntius idem postularet, tandem Crescentius Legatus hæc definitiones differri consensit, ea lege, si Synodi Patres in Congregatione Generali non refragarentur (*) Porro Franciscus Toletanus

(*) Cunctas hæc nugas, ac fabulas solus narrat mendax Sarpus, Vide Pallavicinum l. c. n. 16. quam dubiæ autem sint literæ Francisci Vargæ in Synodi Patres exacerbati, Eruditorum nullus est, qui ignoret: mirum vero, quod Continuator studiose apocrypha ejusmodi sequatur monumenta, legitima vero negligat, & ipsum etiam Sarpium achillem suum allegare non audeat. Porro quo teste Vargas suam calumniam comprobat? si Legatus quæstiones jam decisas non in Sessione, sed in generali congregatione rursus agitari voluit §. XXIX. quomodo prorogata Sessione Synodum dissolvi, sperare potuit: præterea Protestantes materias non in Congregationibus, sed in Sessionibus definitas rursus examinari petierunt. Nempe mentita est iniquitas sibi.

Sæcul. XVI. letanus, inquit Vargas in quadam sua
A.C. 1552. epistola: „ægre admodum a Legato
 „impetrabat, ut a proposito, quo ma-
 „terias in Congregationibus agitas in
 „proxima Sessione decidi voluit, desi-
 „steret quia forte sibi imaginabatur Lega-
 „tus, quod prorogata Sessione Syno-
 „dum penitus dissolvendi viam sibi parare
 „posset? Nempe Concilium separari,
 „ac Protestantes, qui vel jamjam adve-
 „nerant, vel in itinere erant, ad sua
 „redire percupiebat, ac eo omnia ejus
 „collimabant consilia. Nihilominus,
 ut hæc prorogatio legitime fieret, Cres-
 centius generalem Congregationem ha-
 beri voluit, in qua hoc negotium
 proponeretur, ac pro causæ meritis
 mature discuteretur.

§. XXXI.

*Congregatio circa decisionum pro-
 gationem, ac securitatis literas
 Protestantibus datas celebrata.*

Nicol. Psalm. Celebrabatur hæc Congregatio die vi-
pag. 285. gesima prima Januarij, ibidemque
Pallav. l. 12. unanimi omnium suffragio ad Cæsaris
c. 15. n. 17. preces, atque in gratiam Protestantium
 decretum fuit, decisionem articulorum
 circa Missæ Sacrificium, & Sacramen-
 tum Ordinis jamjam discussorum esse
 differendam: ne vero hæc mora Patri-
 bus

bus fastidium crearet, quæstiones de Sacramento Matrimonii illis discutendæ committebantur, eo fine, ut Synodo finis imponi, atque Episcopi ad suas Dioceses libere reverti possent. Postea agitabatur controversia de fidei publicæ literis, quas Protestantes petebant. Nec levis erat circa hoc caput utrinque disceptatio: quippe præter rationes jam antea allegatas, Basileensis conciliabuli nomen Tridentinis Patribus omnino erat exosum: Nihilominus Cardinalis Tridentinus, necnon tres S. R. J. Electores unacum Cæsareis Ministris adeo potenter urgebant, ut Patres eorum petitis tandem annuerent. Verum Petrus Tagliava Panormi in Sicilia Archiepiscopus quamdam proposuit difficultatem, quæ novos fuscitabat tumultus: nam petebat, quænam ratio habenda sit in excipiendis Protestantium Deputatis, quisve ordo in sedendo tenendus, ac denique, an eisdem certa loca sint assignanda, utendumque foret verbis honorificis tam erga illos, quam eorum Principes? „nam nisi, in-
 „quiebat hic Episcopus: Patres hoc
 „faciant, eorum Principes offendentur,
 „& negotium omne rescindetur, si ve-
 „ro eos honorum, ac benevolentix si-
 „gnis excipiant, manifestos hæreticos
 „honorabunt, illosque nobiliori habe-
 „bunt

Sæcul. XVI.
 A. C. 1552.

4. J. Augusti
 1552

Sæcul. XVI. „bunt loco, quam decet haberi rebel-
 A.C. 1552. „les, qui errores suos deprecatum ad-
 „veniunt. (*)

§. XXXII.

Numburgici Episcopi sententia de modo excipiendi Protestantium Deputatos.

*Sarpis l. 4.
 p. 348.*

Hæ rationes apud plerosque plurimum valebant: unde declarabant Patres, quod Synodus haud prius consulto Pontifice, ac Sacro Purpuratorum Collegio hoc in se negotium suscipere non valeat: Verum Julius Pflugius Numburgensis Episcopus opportune hæc suggerebat: „hoc pacto temporis, rerumque necessitas in omni casu legitima foret excusatio violatæ legis, vi cuius cum hæreticis nullatenus communicare jubemur: eadem præterea quæstio in pluribus Imperii comitiis antea fuit jamjam agitata, semper tamen pronuntiatum est, quod con-

(*) Perperam Continuator hanc in rem Psalmæum, & Pallavicinum allegat, cum hæc omnia pro more suo ex maledici Sarpis historia ad Verbum deprompserit, nilque de suo addiderit, nisi quod lingua adhuc magis virulenta venenum a Sarpio crudius propinatæ evomuerit.

„consultius foret, ejusmodi supersede-
 „re ritibus, quos observare præsens
 „rerum vicissitudo prohibet: ne tamen
 „inde Protestantes emolumentum ca-
 „pian, necessitas suadet palam profite-
 „ri, quod omnia fiant Zelo pietatis,
 „& charitatis studio, quæ cunctis le-
 „gibus potior ad devios in rectam se-
 „mitam reducendos peropportuna acci-
 „dit, quin propterea ullum generali
 „Synodo præjudicium afferatur. Hæc
 clausula reipla opponebatur, eoquod
 Patrum non pauci, ac præcipue Itali cum
 hæreticis agere adhuc sibi religioni du-
 cerent, necnon censuram incurrere per-
 timescerent: hac igitur adhibita cir-
 cumspectione erat conventum, ut die
 vigesima quarta Januarij Protestantium
 Deputati in Legati Palatio audirentur,
 atque jamjam adornata articulorum de-
 finitio differretur, insuper etiam qui-
 dam nominabantur Patres, qui hujus
 prorogationis decretum, nec non pro-
 testationis, ut vocant, tabulas, novas-
 que publicæ fidei literas conficerent.
 Equidem Itali huic sententiæ non sine
 repugnantia assentiebant, atque ipse-
 met Legatus toto hujus Congregatio-
 nis tempore tantam animi, vultusque
 gravitatem præseferibat, ut vim sibi
 inferri, necessitatemque imponi, haud
 obscure commonstraret.

§. XXXIII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

Sæc. XVI.

A.C. 1552.

§. XXXIII.

Cæsareorum Legatorum oratio ad
Protestantium Deputatos.

Sleid. l. 23.

p. 848.

Thu. l. 9.

Postquam Cæsaris Ministri hoc negotium cum Synodo penitus absoluerant, die vigesima secunda Januarij Protestantium Oratores ad ædes suas venire jubebant, eisdem datæ fidei literas articulatim explicaturi; jam enim eædem Guilielmo Pictavio, qui tertius Caroli Legatus pro hæreditariis Belgii Provinciis erat, a Patribus fuere consignatæ. Pictavius ibidem singularem Synodi indulgentiam eis exhibitam pluribus exaggerans vehementer eos hortabatur, ut & ipsi quicquam de suis postulatis remitterent, his usus verbis: *Ego & reliqui Cæsaris Legati enixe petimus, ut & vos temporibus aliquid tribuatis, nec omnia vobis velitis hoc momento concedi: cum ad actionem ventum fuerit, tunc pleraque poteritis per occasionem obtinere, quæ nunc duriora videntur: Patres admodum sunt cupidæ emendationis, neque defuturi etiam officio, & admodum expetunt Theologorum adventum, quibus omnem benevolentiam, atque fidem sunt præstituri, & habent, quæ proponunt, magni quidem momenti, & cupiunt ab illis initium fieri, ut per hanc occasionem, & ipsi*

pro-

prodeant: quod etiam de submissione Pontificis petitis, orant, ut sitis in eo remissiores, nam vident, ac intelligunt Patres, non esse nihil, quod in eo fastigio, & reprehendi possit, & corrigi debeat: sed tamen subtili quadam ratione, ac dexteritate progrediendum.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

„Ut autem, prosequeretur Pictavius, Synodus decreta jamjam facta, denuo examinet, ac retractet, considerate ipsimet, quam id non deceat: acquiescite igitur iis, quæ modo conceduntur, atque sane magno nostro labore sunt impetrata; Præterea detis operam, ut Theologi vestri accelerent: nos vicissim tum publico, tum privato nomine nihil officii nostri prætermittemus.

§. XXXIV.

Protestantium repugnantia in acceptandis securitatis promissæ literis.

Postea Protestantium deputati circa ea, quæ ipsis nuperrime a Cæsaribus Legatis fuerunt proposita, mutuo conferebant, cumque illis promissæ cautionis formula esset tradita, secumque securitatis literas a Basileensi Synodo olim concessas deferrent, hinc utrasque inter se comparabant, ac Tridentinam a Basileensi in præcipuis quibus

Sleid. l. 23.
p. 849.
Sarp. l. 4.
pag. 349.
Thuan. l. 9.
n. 7.

Hist. Eccles. Tom. XXI. T bus

Sæcul. XVI. A.C. 1552. busdam articulis diversam, necnon quædam omissa, & alia mutata fuisse deprehendebant, atque hosce articulos immutatos agebant. I. Bohemis decidendi quoque facultas concedebatur. II. In omni controversia Judicis loco designabantur Sacræ Scripturæ, veteris Ecclesiæ praxis, Concilia, & interpretes cum Scriptura consentientes. III. Iphis domi permittebatur religionis suæ exercitio uti. IV. Prohibebatur, ne quid in ipsorum doctrinæ contemptum, aut vituperationem fiat.

Ex quibus primum, tertium, ac postremum articulum in diplomate a Tridentinis Patribus concessio omissum, alterum vero & quidem præcipuum longe diversum esse querebantur, ea propter sibi in hisce literis idem a Synodo promitti postulabant, eo quod ejusmodi formulam a mandati tenore ipsis præscripto tantopere alienam acceptare haud possent: quinimo ipsimet novam ejusmodi cautionem Basileensi haud ab similem conscripserunt, eamque Cæsaris Oratoribus tradiderunt. Verum Franciscus Toletanus permolestè ferebat, quod non essent contenti favoribus, quos tamen ipse non sine magno labore a Synodi Præsidibus obtinuerat, unde Protestantibus exprobrabat, quod uni-
versæ

Steid. 856.

versæ Ecclesiæ leges præscribere præsumerent: cum vero hoc Deputatos suis postulatis pertinacius insistere cerneret, se rem Synodi Patribus, seu Legato, ac Nuntiis propositurum promisit. Vix hi de mutandis fidei datæ literis monebantur, cum illico Protestantium morositatem incusarent, ac studiose ab eis præter omne fas cavillos fieri quererentur, quamvis promissæ securitatis diploma in præcipuis articulis haud diversum esset a formula per eos proposita: si ita est, reponerat sat prudenter Montfortius Comes primus Caroli V. Orator: „nihil præstari poterit Religionis causæ, & „quieti publicæ magis conducens, „quam si inique a Protestantibus tricas „suscitari, omnibus manifestum fiat, „ac proin ipsis omnes prætextus, & „tergiversandi causæ tandem adimantur. Si igitur, inquiebat Comes ad „Legatum, cautio hæc a Patribus Tridentinis data a Basileensi quantum ad „præcipuos articulos non sit diversa, „tunc ad os ipsis in omne tempus obtinendum sufficit, quod Basileensis „formula ad verbum describatur. Hoc responso Præsides attoniti hæserunt, tandem vero Legatus respondit, rem ad Patres in Congregatione generali esse

Sæc. XVI
A.C. 1552.

Sæcul. XVI se referendam, ac prout ipsis videbitur
 A.C. 1552. statuendum. (*)

§. XXXV.

*Præfides cautionis tenorem immutare
 recusantes.*

Habita est hæc Congregatio die vige-
 sima tertia Januarij, prius tamen
 Legatus æque, ac Nuntij de tota rei
 summa Episcopus certiores reddebant,
 eis-

(*) De hac Comitum oratione solus Sarpus
 mentionem facit, ex quo tamen, sicut etiam
 ex Sleidano, & Thuano Continuatores referre
 debuisset, qua ratione Pictavius Cæsaris Ora-
 tor Tridentinas securitatis tabulas a Basileen-
 sibus quoad præcipuos articulos parum differre,
 jam antea coram ipsis Protestantibus expo-
 sivit: rem ita refert Thuanus, *Pictavius,*
quod ad primum caput attinet, inquit, quo de-
cidendi facultatem Theologis vestris concedi peti-
tis, præposere facitis, qui non ignoratis,
multa per occasionem tribui posse, quæ primo
recusantur; quod item sacram Scripturam con-
troversiarum de religione solam esse judicem con-
tenditis, ut nemo est, qui ambigat, ita, cum
de Sacra Scriptura interpretatione discepta-
tur, neque inter partes convenit, quin litis ar-
bitrium Concilio permitti debeat, in dubium
revocari non debet. Quod domi sacra peragere
 vul-

eisque Dei, ac Ecclesiæ causam sedulo Sæcul. XVI.
 commendabant: „ingens prorsus, in- C.A. 1552.
 „quiebant, nobis injuria infertur, si
 „manipulum Schismaticorum Basileæ
 „congregatorum sequi compelleremur,
 „qui tamen relicta sanæ fidei doctrina se-
 „se obstrinxerunt, quod in decidendis
 „articulis inter Ecclesiam, & quosdam
 „Bohemos controversis non nisi sacras
 „litteras sequi velint: Ad Synodi ergo
 „honorem pertinet, aperte loqui, &
 „declarare, quod ea cautio, quæ a
 „Synodo facta est, vera sit Basileensis
 „diplomatis declaratio. Ob has, plu-
 „resque alias rationes ferme omnibus
 „persuasum erat, nihil in datæ fidei li-
 „teris esse immutandum; sperabant
 „enim, Protestantes, utcumque causæ
 „sux commoda sectarentur, re tamen
 „semel peracta facile aquieturos. Nihil Psalm. pag.
 „ominus in Synodi actis, quæ Nicolaus 286.
 „Psalmæus Virodunensis Episcopus con-
 „scrip-

T 3

scrip-

*vultis, etsi non palam conceditur, non tamen
 prohibetur; de cætero non est, quod vereamini,
 ne quid in vestrum contemptum fiat, id enim se-
 vere prohibitum iri, nullique, qui contra fece-
 rit, impunitam proterviam fore, considerare de-
 betis.*

Vide Pallavio. Hist. Conc. Trid. lib. 12. c.
 15. n. 8. & 9.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

scripsit, quasdam mutationes fuisse factas legimus, videlicet, ab initio dicebatur: Sacrosancta Synodus &c. præfidentibus &c. *prout moris est.* Item omittebantur verba: disponendi, & concludendi: Præterea loco verborum, quibus dicebatur, Sanctissimus Dominus Romanus Pontifex, substituebantur hæc: Sanctissimus Dominus noster Summus Pontifex, prout visum fuit legato, verum hæc sententia cum non omnibus placeret, dissoluta fuit Deputatorum Congregatio, & totum negotium ad Congregationem generalem relatum, quæ vigesima tertia Januarii futura erat.

§. XXXVI.

Deliberatio ob Marchionis Brandenburgici Filium ad duos Episcopatus nominatum.

Nic. Psalm.
l. c.
Pall. l. 12.
s. 15. n. 4.

In eodem Patrum conventu die vigesima tertia celebrato agitabatur quæstio, an Pontifex dispensare deberet cum Filio Marchionis Brandenburgensis, juvene nato annos circiter viginti duos, ut præficeretur Ecclesiis Magdeburgensi, & Halberstadenfi, ad quas fuit postulatus per Capitula utriusque hujus Ecclesiæ?

Hanc

Hanc causam Electoris Brandebur-
gici Legatus nomine sui Principis ur-
gebat ; cum vero Fridericus , qui ad
duo hæc beneficia nominabatur , bina
dispensatione , ac diplomate Apostoli-
co indigeret , hinc Julius Papa , qui le-
gis gratiam facere sollicitabatur , se sat
difficilem exhibebat , rem majoris mo-
menti esse considerans , quod præter
ætatis veniam insuper juveni Principi ,
cujus Pater non ita pridem spurixæ re-
formationi nomen dederat , duos Epif-
copatus concederet , præcipue cum pro
obtinenda hac licentia jamjam Paulus
III. Ante obitum suum fuisset interpel-
latus , hinc Papa Synodi sententiam
hac super re rogare constituit. Porro
illi , qui pro Friderico Principe perora-
bant , exponebant , quod Halberstadi-
ensis , & Magdeburgensis Ecclesia præ-
potenti indigeret Episcopo , qui finiti-
morum Protestantium viribus resisten-
do par esset , de cetero autem Frideri-
cus jurejurando spondisset , se fidem
Catholicam in utraque Diocesi pro vi-
ribus conservaturum. Denique si hæc
dispensatio , ac diploma Friderico de-
negarentur , timendum , ne ambæ ci-
vitates Episcopo destitutæ relinqueren-
tur , eoquod imposterum nullus de be-
neficiis , de quibus alter æmulus Cæsa-
ris favore suffultus contendit , litem in-

Sæc XVI.

A.C. 1552.

Sæcul. XVI tentare præsumeret. (*) Ex adverso
 A. C. 1552. contra Fridericum Principem alii alle-
 gabant legitimæ ætatis defectum, con-
 ditionem Parentis, ejusque familiæ
 Protestantibus adhærentis, nec non
 novum Synodi decretum, quod quem-
 piam duobus Episcopatibus præfici ve-
 tabat.

Ceterum summus Pontifex Synodi
 consilium eo fine expetebat, ut semper,
 five illa consentiret, five repulsam da-
 ret, a se calumniandi occasionem amo-
 liretur; si enim Concilium hasce legis
 gratias, ac diplomata Apostolica con-
 cedi negaverit, de Pontificis repulsa ne-
 mo jure queri poterat, sin vero Syno-
 dus Brandeburgico Electori favendum
 censuerit, nec ipsi etiam Episcopi quan-
 tumvis rigidioris disciplinæ studiosissimi
 indulgentiam Pontificis incusare vale-
 bant. (**). Itaque hoc negotium in
 con-

(*) De hac postrema ratione præter Con-
 tinuatorem in adinveniendis rebus sat fœcun-
 dum nullus alius mentionem facit.

(**) Hæc animadversio a Continuatore
 subdole fuit excogitata; cum enim sæpius au-
 tea Pontifices accusasset, quod pro suo arbi-
 trio cuncta in Conciliis moderari solerent, nunc
 vero oppositum referre cogeretur, ideo ultro-
 neam hanc Pontificis submissionem in propriæ
 securitatis studium rejicere conatus est.

conventu die vigesima tertia Januarij ^{Sæcul XVI.}
 habito proponitur, atque Cardinalis ^{A. C. 1552.}
 Tridentinus, necnon tres S. R. J. Ele-
 ctiores Friderici petitis annuendum cen-
 sebant, haud ignari, quod ipsemet Im-
 perator Brandenburgici Marchionis ami-
 citiam conservare sollicitè quæreret.
 Nihilominus Granatensis Archipræsul
 amplius deliberandi spatium sibi conce-
 di efflagitabat, cujus etiam sententiæ
 plures alii accedebant: non deerant
 tamen alii qui censerent, quod Papa
 tam in ætatis vitio legis gratiam facere,
 quam pro alterutro ex his Episcopati-
 bus diploma concedere deberet. Cum
 ergo in hac Congregatione suffragan-
 tium opiniones in diversa abirent, res
 adhuc in alio Patrum Conventu propo-
 nebatur, ubi potior suffragiorum pars
 Friderico Principi favebat, impositis
 tamen hisce conditionibus. I. Syno-
 dum ipse accedat. II. illius decreta
 se servaturum jurato caveat. III. Ei-
 dem pro Diocesium regimine Admini-
 strator adjungatur, donec legitimam æ-
 tatem attigerit, ac de morum probita-
 te, necnon Religionis Catholicæ stu-
 dio luculenta ediderit testimonia. Has-
 ce conditiones acceptans Princeps u-
 tramque obtinuit Ecclesiam.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

§. XXXVII.

Protestantium deputati ad Congregationem admissi.

*Sarpus l. 4.
pag. 351.*

Postquam vigesima quarta Januarij dies appropinquaverat, in qua Protestantium Deputati in generali Patrum conventu speciatim ad præfatam diem indicto comparere permittebantur, omnes Synodi Patres matutino tempore in Legati Palatio convenerant. Aderant quoque tres Ecclesiastici Electores, omnes Episcopi, ac Caroli V. Oratores. Præsentibus omnibus Papæ Legatus hæc exposuit: „huc convenimus ad inchoandum opus, quo multis retro sæculis nullum magis anceps, ac periculosum in Ecclesia contigit, quocirca eo ardentius Deus pro felici successu nobis exorandus est. Postea invocato Spiritus Sancti auxilio, Synodi Scriba protestationis, ut vocant, instrumentum recitabat, quod ab omnibus Episcopis approbatum Promotor in tabulas publicas referri postulabat. In eo Concilii Patres declarabant, per ea quæcunque Concilium indulgenter cum Protestantibus sit acturum, etiam si Saxonix, ac Wirtembergæ Deputatos recipiat, atque audiat, nihil inde ejus auctoritati derogatum iri. Porro Protestationis tenor ferme hic erat: „Sa-

„cro-

„rosancta Synodus, cum ardentem pa-
 „cem, atque Ecclesiae unionem exop-
 „tet, & Dominum, ac Redemptorem
 „nostrum, qui omnes homines salvos
 „facere, atque ad agnitionem veritatis
 „reducere vult, imitari desideret, e-
 „tiam christiana, ac fraterna mansue-
 „tudine illos, qui ad hanc Synodum
 „accedere desiderant, excipere, in-
 „struere, docere, eosque ad rectam
 „semitam reducere cupit, illos vero,
 „qui dissensionibus ab Ecclesia sese se-
 „pararunt, rursus conciliare parata est.
 „Eadem quoque Synodus tam pro Dei,
 „ac Redemptoris nostri gloria, quam
 „ut Ecclesiae haud diutius obsequio,
 „ac suorum Episcoporum praesentia sint
 „privatae, ad finem adeo utilem, ac
 „proficuum pervenire adlaborat, hanc-
 „que in rem, ne ob disceptationes, quae
 „tam de personis comparentibus, man-
 „datisque, & Scripturis exhibendis,
 „quam de loco ad sedendum personis
 „assignando oriri possent, felix ipsius
 „Concilii progressus retardetur, inhæ-
 „rens decreto in secunda Sessione pro-
 „mulgato, atque illud innovans, sta-
 „tuit, decernit, declarat, quod tunc
 „si forte aliquos, qui ex disposi-
 „tione juris, aut ex approbatorum Con-
 „ciliorum more admittendi, aut reci-
 „piendi non essent, vel per seipsos, vel
 „per

Sæcul. XVI.
 A.C. 1552.

Sæcul. XVI. „per interpositas personas admitti, aut
 A.C. 1552. „recipi, vel in loco non debito sedere,
 „vel sententiam sub verbo, *placet*, pro-
 „ferre, vel Congregationibus interesse, vel
 „alios quoscunque actus facere Concilio
 „durante evenerit, quodque, si etiam
 „contigerit mandata, instrumenta, pro-
 „testationes, & alia cujusvis generis
 „scripta quæcunque, quæ ipsius Con-
 „cilio honorem, jus, ac potestatem
 „quomodocunque læderent, seu læde-
 „re possent, recipi, aut admitti, pro-
 „pterea non præjudicetur, neque ali-
 „quo modo præjudicatum censeatur,
 „vel intelligatur præsentis Concilio, ne-
 „que Conciliis oecumenicis, ac genera-
 „libus in perpetuum celebrandis: cum
 „omnis intentio hujus concilii sit, &
 „eo tendat, ut pax, & concordia qua-
 „cunque ratione, licita tamen, & con-
 „gruente, in Ecclesiam reducantur.

§. XXXVIII.

*Wirtembergensium Deputatorum po-
 stulata ad Concilium.*

Sleid. comm Interea Wirtembergenses Deputati, qui
l. 23. p. 250. Saxoniz Oratores adventu suo præ-
Pall. l. 12. venerant, præ ceteris primi fuere au-
c. 15. n. 6. diti; moxque sui Principis mandata
Thuan. l. 9. exhibuerunt, quibus etiam publice præ-
 lectis, ac præmissa succincta oratione
 Mas-

Massarello, qui Synodo a secretis erat, Ducis sui nomine fidei confessionem porrigebant, ac propediem suos Theologos Tridentum venturos nuntiabant, ut hi articulos ibidem contentos copiosius explicare possent. Verum in sermone suo duas proponebant conditiones, quarum prima erat, ut juxta utriusque partis arbitrium judices idonei seligerentur, qui Protestantium rationes percipiant, ac de rebus controversis legitime cognoscant. Altera erat, ut ea, quæ in Synodo jamjam fuere decreta, nullatenus vim legitimæ decisionis obtinerent, sed quæstiones hæc rursus examini subiicerentur, in comitiis enim Augustanis decretum esse contendebant, quod Synodus continuetur, atque omnia juxta Religionis, ac justitiæ leges fiant: hæc autem verba ita semper a suo Duce fuisse intellecta agebant, ut cuncta, quæ opposita parte nondum audita fuissent definita, novæ discussioni submitterentur: id enim esse juris, ac legitimi ordinis asseriebant. His addebant: „nostri Theologi demonstrare parati sunt, quod in hoc Concilio multa facta sint decreta Sacris literis contraria, multique etiam veteres errores, de quibus alias questi sumus, fuerint confirmati, quapropter nomine nostri Principis petimus, ne „qua

Sæc. XVI.
A. C. 1552.

Sæc. XVI. „qua sit horum auctoritas , sed potius
A.C.1552. „omnia legitimo examini deferantur.,
 Hunc ipsum Protestantium sermonem
 in Virodunensis Episcopi actis reperio
 his verbis conceptum.

§. XXXIX.

Oratio Wirtembergensium Oratorum in Patrum Conventu habita.

*Psalm. in art
 Conc. Trid.
 p.316. & seq.* **I**llustrissimus Princeps , ac Dominus,
 Dominus Chrystophorus Dux Wirtem-
 bergensis. . . Dominus noster clementis-
 simus , reversis ad celsitudinem ipsius
 prioribus , quos in gratiam , & debi-
 tam observantiam Cæsareæ Majestatis ,
 & secundum decreta Comitiorum Augu-
 stanensium , huc ad præsens Concilium
 Tridentinum ante aliquot menses misit,
 nos alteros legatos Celsitudinis ipsius ad
 ea , quæ in communi negotio religionis ,
 & aliis necessariis punctis , adhuc per-
 agenda , & deliberanda supersunt , omni
 studio , ac opera promovenda , & absol-
 venda huc ablegavit , simulque injunxit,
 ut initio adventus nostri amplissimis Dig-
 nitatibus vestris exhiberemus nos , illis-
 que nos quam humiliter commendaremus ;
 deinde in Cæsaris ipsius nomine amplif-
 simis Dignitatibus vestris amicas , atque
 benignas ageremus gratias , pro singula-
 ri Dignitatum vestrarum amplissimarum
 studio

studio, gratia, ac benevolentia, qua Sæcul. XVI.
A.C. 1552.
priores Celsitudinis ipsius legatos in ex-
pediendis negotiis commissis, & manda-
tis suis, tum apud amplissimas Dignita-
tes vestras, quam apud communem Con-
gregationem Concilii, complexæ sunt,
idque Celsitudinis ipsius oblata occasione,
& benigne referre, & gratiose agnos-
cere non est dedignatura: quantum vero
ad adventum Celsitudinis ipsius Theolo-
gorum attinet, ordinaverat quidem Cel-
situdo sua eo etiam tempore, quo priores
suos Legatos ablegavit, quosdam Theo-
logos, qui præsens Concilium visitarent,
quemadmodum nunc etiam a Celsitudine
ipsius quidam Theologi destinati, atque
itineri accincti sunt, quorum etiam ad-
ventum intra paucissimos dies speramus;
Verum cum certa quaedam gravamina,
quæ per Ducis Saxonix Electoris, par-
tim per Celsitudinis ipsius Legatos pro-
posita sunt, incidissent, absque quorum
resolutione, & relevatione parum utilis,
& frugifera erat futura tractatio Theo-
logica de doctrina, ideo hætenus nego-
tium cum Theologis commode promoveri
non potuit.

Nobis autem discedentibus, sæpe di-
ctus illustrissimus Princeps noster, de
novo in mandatis dedit, ut amplissimis
Dignitatibus vestris, gravamina in me-
moriam iterum revocaremus, ac quam
dili-

Sæcul. XVI. diligentissime pro resolutione, & releva-
 A.C. 1552. tione eorum apud amplissimas Dignitates
 vestras laboravimus: Etsi enim quantum
 ad securitatem datam attinet, Celsitudo
 ipsius de securitate, & de fide, atque
 constantia in servanda ea nihil dubitet,
 nec habeat, quæ Celsitudo sua præcipue
 in securitate desideret, tamen cum Cel-
 situdo sua conferret exemplum ejus Secu-
 ritatis, & Salvi conductus, qui in Con-
 cilio Basileensi Bobemis datus, & cujus
 similis forma postulata est, cum eo exem-
 plo, quod Celsitudini ipsius transmissum,
 atque a Concilio publicatum est, compe-
 rit reipsa non cum levi Celsitudinis ipsius,
 & aliorum Augustanæ Confessioni adhe-
 rentium Theologorum præjudicio, qua-
 dam necessaria partim ommissa, partim
 mutata esse, nam ubi in Basileensi Salvo-
 conductu hæc verba habentur, & signan-
 ter, quod in causis controversis lex di-
 vina, Apostolica, & Ecclesiæ primiti-
 va, una cum Concilio, Doctoresque
 fundantibus se veraciter in eadem pro
 verissimo, & indifferente Judice admit-
 tantur, pro his verbis in novo exemplo
 alia substituta sunt, videlicet & signan-
 ter, quod de controversis secundum sacram
 Scripturam, & Apostolorum traditio-
 nes in prædicto Concilio Tridentino &c.
 Est præterea & ea deliberatio in propo-
 sitis gravaminibus una cum aliis nondum
 re-

resoluta, quod Papa pro Præside Concilii Sæcul. XVI.
nec agnosci, nec haberi, sed quod ipse A.C. 1552.
Concilii cognitioni se submittere debeat,
quodque omnes personæ, quæ Congrega-
tioni Concilii intersunt, & intererunt,
atque ipsi juramento adstrictæ, & obli-
gatæ sunt, suis liberentur, quantum ad
præsentem tractationem pertinet, jura-
mentis, & obligationibus, quibus sine
non expeditis, nec resolutis, nulla utilis,
& salutaris tractatio de doctrina cum
Theologis institui potest: licet enim in
communi Congregatione, & communi
consensu atque Concilio aliquid pium, &
Christianum, & Salutare constitueretur,
quod tamen Papæ non placeret, id certe
sua voluntate, & auctoritate facile &
mutare, & respuere posset, indeque ni-
hil aliud sequeretur, quam quod omnia
studia, omnia Concilia, omnes labores,
ac denique omnes actiones plane essent fru-
stra institutæ, atque susceptæ: quare
ad huc petit illustrissimus Princeps noster,
ut amplissimæ dignitates vestræ pro sum-
mo suo studio, quo hætenus universum
negotium complexæ sunt, in eo etiam
laborare, & operam dare velint, quo
ennarratorum, & aliorum antea propo-
sitorum gravaminum, antequam ad
Theologicam tractationem perveniatur,
fiat resolutio, & relevatio.

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

Illustrissimus Princeps, ac Dominus, Dominus Christophorus, Dux Wirtembergensis Dominus noster Clementissimus, certo ordine Tridentum quosdam e Theologis suis, qui oblatam Confessionem, auctoritate Sacræ Scripturæ, & veræ Catholicæ Ecclesiæ consensu defendant, ac tueantur, & si opus fuerit, copiosius explicent, sed priusquam Theologi suscipiant explicationem, petit Illustrissimus Princeps noster de quibusdam gravaminibus suis Sententiam Tridentini Conventus audire.

PRIMUM GRAVAMEN.

Quod ad audiendam Theologorum explicationem, nondum sint ordinati, & constituti ex utriusque partis consensu, idonei iudices, aut arbitri, qui de præsentis controversia religionis legitima, juxta scripta Prophetica, & Apostolica, & juxta verum veræ Ecclesiæ Catholicæ consensum cognoscant, nam cum Illustrissimus Princeps noster intellexerit maximam partem Doctrinæ suorum Theologorum pugnare cum Doctrina, & Sententia Pontificis Romani, & eorum Episcoporum, qui sunt Romano Pontifici iuramenti, & aliis obligationibus addicti, nullo jure, nulla æquitate fieri potest, ut Pontifex, & Episcopi ejus in hac causa, in qua ipsi sunt pars, sive accu-
sato.

fatores, sive rei, pro idoneis iudicibus, aut arbitris agnoscantur. *Petit Illustrissimus Princeps se certio- rem reddi, qui sint futuri bujus rei Juaces, aut arbitri.*

Sæcul XVI.
A.C. 1552.

SECUNDUM GRAVAMEN.

Quod *Conventus Tridentinus non videatur servari, juxta recessus Comiti- orum Imperialium Augustanorum, in quibus decretum fuit, quod Concilium Tridentinum continuari, & omnia Chri- stiane, & honeste, ac congruenti ordine tractari debeant. Hæc verba Illustris- simus Princeps noster nunquam aliter intellexit, quam quod Concilium Triden- tinum antea anno millesimo quingentesi- mo quadragesimo sexto institutum, non sit ita continuandum, & proseguendum, ut decreta in eo facta pro concl. sis, & vatis habeantur: quæ enim hæc esse ho- nestas, & congruentia, ea decreta pro vatis, & Sacro-sanctis habenda impone- re, quæ parte altera nondum audita, sunt constituta, sed quod ab initio omnia capita Religionis nostræ, de quibus con- trovertitur, iterum tractari, & iis au- diendis, & dijudicandis vere legitima, & æquitati conveniens actio observari debeat. Quod cum hoc Tridentinum Con- citium, non videntur hoc modo institu- tum, petit Illustrissimus Princeps, ut*

Sæcul. XVI. recessui Comitiorum Imperialium hac in
 A.C. 1552. parte satisfiat.

TERTIUM GRAVAMEN.

Quod in Sessionibus non sol. in ejus
 Concilii, quod anno millesimo quingen-
 tesimo quadragesimo sexto Tridenti in-
 stitutum est, verum etiam hujus Concilii,
 quod jam continuatur, decreta sint mul-
 to aliena, a Sacris literis, & confirma-
 ti multi veteres errores, sicut Theologi
 Illustrissimi Principis sese coram idoneis
 iudicibus, aut arbitris declaraturos ve-
 cipiunt: petit igitur Illustrissimus Prin-
 cept, ut talia decreta non habeantur pro
 conclusis, & ratis, sed tantum pro dif-
 cernendis, & judicandis, donec idonei
 iudices, & arbitri ex utriusque partis
 consensu eligantur, & ab his legitime
 juxta Sententiam Sacræ Scripturæ, &
 consensum veræ Ecclesiæ cognitio fiat:
 Cum igitur Illustrissimus Princeps etiam
 in hoc præcipue incumbat, ut vera, &
 pia concordia in Ecclesia constituatur,
 non dubitat æquum esse, ut his jam com-
 memoratis gravaminibus levetur, & ex-
 oneretur, ac vicissim recipit se ope, &
 auxilio divinæ Clementiæ nullum offi-
 cium Christiano, & pio Principe dig-
 num intermissurum, quo sperat se Deo
 Patri Domini nostri Jesu Christi fidem,
 & obsequium suum probare, & incolu-
 mita-

mitatem, & tranquillitatem veræ, *Sæcul. XVI.*
 Et Apostolicæ, & Catholicæ Ecclesiæ *A.C. 1552.*
 posse juvare.

Absoluto hoc sermone Deputatis
 abire jussis admodum succinctis verbis
 significabatur, Synodi Patres post ma-
 turam rei propositæ deliberationem suo
 tempore responsuros, atque ita Orato-
 res dimittebantur.

§. XL.

*Saxoniorum Oratorum postulata,
 eorumque oratio.*

Eadem die post prandium Saxonici *Pf. p. 313.*
 Electoris Deputati pariter ad allo- *Pallav. l. 12.*
 quium admittebantur, ibidemque ser- *c. 15. n. 7.*
 monem, quem idem Virodunensis E-
 piscopus in Synodi Tridentinæ a-
 ctis refert, pronuntiabant, ac ce-
 terorum nomine Leonardus Padehor-
 nius verba faciebat. Hac in re Sar-
 pius turpiter hallucinatur, dum hosce
 Oratores ante Wirtembergenses fuisse
 auditos narrat. Porro Saxonix De-
 putati suam orationem latine concep-
 tam ad quinque capita reducebant,
 quorum primum respiciebat datæ pro-
 missæ securitatis fidem, quam minus
 idoneam esse contendebant, eoquod
 Concilium Constantiense decrevisset,
 præstandam non esse fidem publicam
 reis ob crimen Religionis; hinc aliam

Sæcul. XVI
A.C. 1552

se petere aiebant ea forma, quæ Bohemis a subsecuto Basileensi Concilio data fuerat. (*)

II. Petebant Protestantium Oratores, ut parata jam articulorum decisio protraheretur usque ad Theologorum adventum, qui a Saxonie Electore brevi mitendi erant de his disceptaturi, & quibus nondum accedere licuerat, fidem publicam cujuscunque expertem periculi desiderantibus.

III. Ut recognoscerentur, ac denuo in disputationem revocarentur una cum Saxonie Theologis, quæ ad eam usque diem

(*) Hanc in rem observat Pallavicinus, falsum esse, quod hic dicitur, hujusmodi Decretum a Constantiensi Concilio fuisse conditum. Decretum fuit, per fidem publicam hæreticis concessam a profanis principibus, haud obstruigi iudices Ecclesiasticos, ad quos pertinet de his causis judicare, adeoque laicorum Magistratui observata ex parte sua securitatis fide, nihil ultra præstandum: verum Ecclesiastico Magistratui, qui fidem non dederat, integrum esse suo fungi munere: quo circa Saxonum petitione tebatur quadam calumnia, perinde quasi Concilia docerent, fidem publicam haud esse servandam, eratque studiose quæsitæ cavillatio in securitatis libello, qui ab ipso Concilio illis legitime traditus fuerat.

diem decreta fuissent Confessione Augustanae adversantia, cum hæc fuissent Augustani Conventus sensa, quando Imperii totius nomine continuatio Tridentinae Synodi intermissæ postulabatur, hinc novam banc trutinam necessariam esse agebant, quod ipsorum Principi innotuisset, iis articulis, præsertim de justificationis negotio, multa errata non levia contineri, per Sacras literas redarguenda: præterea dicebant, hujusmodi capita statuenda esse Christianarum omnium nationum calculo, quarum Antistites superioribus decretis haud intervenerant, & his absentibus, eam Synodum peculiarem conventum, non Oecumenicum Concilium appellandum.

IV. Postulabant, ut, cum quædam ex controversiis, potissimum de Romano Pontifice, agerentur, meminissent Patres Sanctionum Concilii Constantiensis, ac Basileensis, in quibus statuitur, ut in causis fidei, & in iis, quæ ad ipsum Romanum Pontificem spectant, ille Concilio subiiciatur: instabant igitur Saxonis nomine Oratores, ut primo loco id a Patribus Tridentinis declararetur, perinde ac a Basileensibus Sessione secunda, adeoque juramento solverentur ii, qui Pontifici fuerant obligati.

Denique V. Oratores eas Divini obsequii, publicæque Salutis contestationes

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.

Sæcul. XVI
A. C. 1552.

*adjecere, quæ sunt vocabula communia
ingentium malorum æque, ac bonorum
auctoris.*

(*) Expositis hisce quinque articulis, sermonem suum scripto tradiderunt his pene verbis conceptum,

§. XLI.

*Oratio Saxonice Deputatorum ad
Concilium.*

*Reverendissimi, & Amplissimi quarum-
cunque dignitatum, & Ordinis, ac
status Viri, Patres, ac Domini debita
reverentia observandi. Illustrissimus
Prin-*

(*) Haud diffimulandum est id, quod Præsides admodum callidæ Protestantium petitioni circa Synodum Constantinensem opposebant: *cum enim, inquebant Patres, semper Lutherus, ejusque factio Concilium Constantiense tanquam irritum, ac Sacrilegum detestati fuissent, quippe qui præcipuas opiniones suas ab eo damnatas conspexerant, cumque tunc, ut maxime Lutherani obfirmati refellerent tot illius decreta certæ significationis, & efficacia, alienum ab omni ratione videtur, nunc ab ipsis proferri veluti divinum oraculum quoddam illius decretum dubiæ intelligentiæ, & neutiquam confirmatum a Martino Pontifice, cujus confirmatio tantum extenditur ad fidei dogmata ibi adversus recentes hæresarchas sancita.*

Princeps Mauritius, Dux Saxoniae, Sæcul. XVI.
Sacri Romani Imperii Elector, & Ar- A C. 1552.
cbimarscallus, Præses Thuringiæ, &
Marchio Misniæ, & Dominus noster
Clementissimus misit nos ad vestras Reve-
rendissimas, & Amplissimas dignitates,
ac Præstantias, & precatur primum o-
mnibus a Deo optimo Maximo Patre
Domini nostri Jesu Christi, ut Spiritu-
tum Sanctum suum benigne largiri, ac
aspirare dignetur, quo omnia hæc, quæ
hic agitis, acturique estis ad sui Sanctis-
simi Nominis, & Christi Filii sui Do-
mini, ac Salvatoris nostri gloriam, &
honorem, Ecclesiæ suæ pacem, & in-
crementum, atque cunctorum Christi fi-
delium veram, & æternam Salutem ten-
dant, & dirigantur. Deinde notum
vult esse universo huic Ordini vestro,
quod tamdiu secum constituit, & ani-
imum suum ita declaravit, si quando pro-
pitio Deo contingeret universale, libe-
rum, & Christianum Concilium con-
gregari, in quo controversia Religionis
nostræ, sepositis affectibus, secundum
Sacram Scripturam tractari, & dijudica-
ri posset, omnes tuto admitti, ac audiri,
atque Christiana reformatio tam in ca-
pite, quam in membris institui deberet,
quod ad tale Concilium suos quoque Theo-
logos viros pios, doctos, ac pacificos mit-
teret, & quia putat hoc nomine congre-
U 5
gatos

Sæcul. XVI. *tos nunc esse, & in hoc convenisse hic*
A.C. 1552 *vos omnes, ut eo, quo dictum est modo*
procedatur.

Ideo convocatis suis Theologis, qui antecessorum suorum, & partim etiam suo tempore scribendo claruerunt, mandatum dedit, ut missis ex suo numero quibusdam suæ doctrinæ Confessionem in hoc coetu vestro faciant, & eam Sacrae Scripturae testimoniis confirment, atque in omnibus, quibus secundum Sacram Scripturam possunt, vobiscum conveniant, & concordent, id quod illi se facturos prompti, ac volentes in se receperunt, quod vero hoc hætenus factum non sit, & illi hic nondum comparuerint, causam hanc habet, quod Princeps noster admonitus fuerit cujusdam Constitutionis Concilii Constantiensis, quæ habet, quod de hæreticis, & de hæresi suspectis nulla publica fides, nullusque Salvus Conductus, sive per Imperatorem, sive Reges, seu alios datus, quocunque vinculo illi ad servandum se adstrinxerint, servari debent: quinimmo si confisi aliqui super hujusmodi Salvo-Conductu venerint, alias non venturi, ad potestatem Ecclesiasticam trahi possint, non obstante ejusmodi Salvo conductu, nihilominus puniri: ut habetur tenor illius Constitutionis in decima octava Sessione Concilii Constantiensis, cujus Constitu-

tionis

tionis exemplar, si forte ad manum non sit, jam dabimus.

Sæcul. XVI.
A.C 1552.

Et movit hæc Constitutio Principis nostri animum eo magis, quod timore bujus etiam Bobemi tempore Basileensis Concilii accedere ad illud nequaquam voluerint, nisi eis plena, & perfecta securitas veniendi eo, & ibi commorandi, atque inde redeundi propria, a Concilio daretur, cum derogatione dictæ Constitutionis Constantiensis, & cum aliis quibusdam clausulis: Unde & Concilium illud Basileense plenissimam Securitatem Salvi conductus illis concessit, cum memoratæ Constitutionis Constantiensis expressa derogatione, & multis aliis clausulis, ut est videre in quarta Sessione ejus Concilii, cujus formam priori subjecimus: Ejusmodi ergo saluum conductum petivit Princeps noster dari etiam suis Theologis, Consiliariis, & aliis, quos huc missurus esset cum eorum ministris, & familiaribus, quos secum adducerent, ut tuto hic venire, hic morari, ac redire hinc secure possint, & spem certissimam conceperat, fore, ut id quod Basileensis Synodus Bobemis benignissime concesserat, id hic Tridenti germanis non negaretur.

Verum oblata est illi ante dies non multos quædam membranea Schedæ aperta sine Sigillo, cum significatione hæc, quod

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

quod per istam satis cautum, ac prospectum suis esse deberet, cujus copiam quoque exhibebimus, sed quia multum discors hæc ab illa fuit, & cum Basileensi Salvo conductu vester Salvus conductus in plurimis articulis, minime conveniebat, ob id grave, & periculosum iudicatum est, non impetrato eo, qui petitus, & qualis Bobemis datus esset, Salvo conductu concedere, maxime cum ex proemio, & aliquot decretis hic Tridenti promulgatis, quæ typis excusa in publicum prodierunt, manifestum sit eos pro Schismaticis, & hæreticis hic haberi, ac culpari, cum tamen nequaquam huc vocati, multo minus auditi fuerint, & nihilominus prompti sint doctrinam suam testimoniis Sacræ Scripturæ corrobore.

Quare petit Princeps noster, ut enumeratis causis, & se, & suos, quominus hic hætenus comparuerint, excusatos haberi, & qua, rogant, forma, quoque Bobemis in Basileensi Concilio datus fuit Salvus conductus, eundem nunc suis etiam dari, atque quam primum sibi transmitti: præterea certior est redditus Princeps noster, quamvis, ut dictum est, sui Theologi neque vocati, neque auditi fuerint, & propter defectum pleni, atque integri Salvi conductus venire huc, & comparere hic nondum potuerint, quod

quod tamen nihilominus sine mora, hic *Sæcul. XVI.*
 procedatur, & concludatur etiam in il- *A. C. 1552.*
 lis articulis Religionis, qui controver-
 siam habent, sicut videmus, quod nunc
 Sessionem habere, & decreta super arti-
 culis in controversia positis, publicare
 velitis. Id quod Principi nostro præju-
 diciale, & iam divino, quam humano,
 tum naturali, tum positivo juri contra-
 rium existit, quæ jura omnia volunt,
 quod non auditi non debeant prægra-
 vari.

Cum itaque velit Princeps noster suos
 Theologos huc mittere, doctrinæ suæ con-
 fessionem facturos, & eam Sacræ Scrip-
 turæ testimoniis corroboraturos, quam-
 quam in omnibus, quibus cum verbo
 Dei possint, & velint, & debeant vo-
 biscum concordare, sed ex defectu Salvi
 conductus id facere hactenus impediuntur,
 manifestum est, culpam nullam illis at-
 tribui posse.

Unde rogamus nomine Illustrissimi no-
 stri Principis, ut tractatio illorum arti-
 culorum Religionis qui controversiam
 habent, & prius instituta Sessio, & de-
 cretorum publicatio eo usque differantur,
 & protrahantur, dum ipsius etiam Theo-
 logi tuto huc adveniant, & ad plenum
 audiantur, qui jam nunc in itinere sunt,
 & ad sexaginta milliaria Germanica
 huc processerunt, expectantes vestrum
 Sal-

Sæc. XVI. *Salvum conductum, ut eo accepto, mox*
A.C. 1552. *buc porro progrediantur, & quam pri-*
imum fieri poterit, hic apud vos compa-
reant, doctrinam suam, ejusque testi-
monia Sacra edant, ac in lucem profe-
rant.

Tertium est, quod relatam fuit Prin-
cipi nostro, quod illa decreta, quæ Su-
perioribus annis hic Tridenti tractata
fuerunt, pro decretis conciliaribus, &
firmis conclusis, habere articulos, qui
controversiam habent, & in quibus, qui
Augustanæ sunt Confessionis, dissentiunt,
non reassumere, neque audire suos super
illis velitis, cum vero declaratum illi sit,
pleraque eorum decretorum etiam in præ-
cipuis capitibus Religionis nostram ju-
stificationem concernentibus errores non
leves continere, qui per Sacram Scriptu-
ram ostendi, ac declarari possunt, sum-
me necessarium est, uti ipse, & plerique
alii semper judicarunt, & adhuc judi-
cant, ut sui Theologi etiam super illis
decretis audiantur, & sic in controver-
sia positi articuli reassumantur.

Quapropter orat Princeps noster, ut
illa decreta in articulis, qui controver-
siam habent, omnino reassumantur, &
tum sui, tum alii Augustanæ Confessio-
nis Theologi super illis plane audiantur,
eorum rationes, & argumenta ex Sacris
litteris expendantur, quod pium, & Dei
verbo

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

verbo consentaneum fuerit, admittatur, atque suffragiis omnium nationum Christiani orbis laudetur, recipiaturque. Adhuc sunt ista decreta tunc tractata, quando paucissimi eorum, qui ad universale liberum, & Christianum Concilium requiruntur, pauci Prælati, paucique legati statuum Germaniæ præsentis fuerunt, ut patet ex Catalogo nominum eorum, qui una cum illis decretis typis excusis in publicum prodit: Unde etiam pro decretis Universalis Concilii illa decreta haberi, aut vendicari nequaquam possunt, nam ad universale, liberum, & Christianum Concilium requiruntur universæ totius Christiani Orbis nationes, & ut omnes secure admittantur, libereque audiantur, utque eorum rationes, causæ, & argumenta, secundum Sacram Scripturam expendantur, dijudicenturque, alioquin ea, quæ habetur Congregatio, nomen Universalis, liberi, & Christiani Concilii minime mevetur, & quod in ea decernitur, pro decretis œcumenici, liberi, & Christiani Concilii haberi, & acceptari minime potest.

Quarto loco referre, & in memoria revocare debemus vestris amplissimis dignitatibus, & Præstantiis, quod articuli controversiam habentes fidem nostram Christianam, & aliqui eorum Pontificem præcipue concernunt: cum autem & jura

Sæcul. XVI. A.C. 1552. jura, & Concilia, tum Constantiense, tum Basileense expresse constituerint, quod in causis fidei, & quæ ipsamet Pontificem contingunt, Pontifex Concilio subjacens, & Concilium supra Pontificem sit, & esse debeat, conveniens fuit illud hoc etiam in loco omnino servare, & ante omnia confirmare, sicut in Basileensi Synodo factum est, & in secunda Sessione ejusdem habetur. Et quod per hoc Prælati, & reliqui ex Concilio cujuscunque gradus, ac Ordinis fuerint, a suis juramentis, quibus Pontifici obstricti erant, quantum ad Concilium, & causas in eo tractandas pertinet, liberi sint. Et censet Princeps noster, quod hujusmodi liberatio etiam sine expressa Pontificis relaxatione sequatur clare ex conclusis Basileensis Concilii in multis locis, ubi ponitur, quod etiam Papalis eminentia, & dignitas in talibus casibus Concilio subjecta sit. Si ergo subjecta est Papalis eminentia Concilio, sequitur, quod personæ Concilium repræsentantes, ab ejus nexibus, & ipsis præstitis juramentis quantum ad fidei articulos, & Christianam reformationem tam in Capite, quam in membris instituendam spectat, liberae sint, etiamsi Pontifex nollet eis juramenta ea remittere, quod tamen ut ex virtute prædictarum Constitutionum Constantiensis,

Et Basileensis Conciliorum jam libera Sæcul. XVI.
sint, Et quod hoc ita declarari merito A.C. 1552.
debeat.

Si enim liberum debet esse Concilium, in quo semotis affectibus de controversiis Religionis, Et Christiana reformatione capitibus, Et membrorum tractari, atque omnia secundum Sacram Scripturam fieri conveniat, necesse est, liberas esse personas, quæ libere de his omnibus differere, Et judicare debeant, liberi autem, Et sine affectibus nunquam erunt, qui Pontifici subjecti, Et ab ejus imperio quantum ad causas in Concilio tractandas pertinet, non soluti censeari debeant. Rogat itaque summopere Princeps, prædictas Constitutiones Constantiensis, Et Basileensis Concilii, quod nimirum in fidei articulis, Et qui Pontificem, ejusque potentiam contingunt, Pontifex Concilio subjectus sit, ante omnia confirmari Basileensis exemplo, quod ab initio decretum Constantiensis Concilii in articulo, quod universale Concilium supra Pontificem sit, ante omnia repetivit, approbavit, ratificavit, atque etiam de verbo ad verbum actis illis inseruit, quemadmodum fidem Sessionis ejus Concilii acta manifestissime demonstrant.

Et negari nunquam potest, quod Et Pontifex, Et reliquorum Clericorum
Hist. Eccles. Tom. XLI. X sta-

Sæcul. XVI *status, ac vita magna, & gravi omni-*
A C. 1552. *no reformatione opus habeant: quamquam*
enim proxima ante centum, & aliquot
annos celebrata Concilia, tempora certa
præfinierunt, intra quæ semper Gene-
ralia Concilia celebrari debuissent, eo quod
præviderint jam tunc absque dubio pru-
dentiores ejus sæculi, futuros & secururos
bos articulos, quibus occurrendum in tempo-
re, esse rectissime judicarunt: tamen sequen-
tium temporum Pontifices neque eas, ne-
que alias bonas Patrum institutiones,
quas bona cum conscientia potuissent, &
necessario debuissent observare, serua-
runt. Et sic perniciosos hosce errores,
& abusus succrescere permiserunt, un-
de plurima, & infinita mala, & mul-
tuplicia Schismata Christianum orbem in-
vaserunt, exorta bella, odia, dissensio-
nes, tumultus, & latissima occasio da-
ta, ac relicta est grassandi in populum
Christianum misere, sævissimo, crude-
lissimo, nefandissimoque Christiani no-
minis hosti perpetuo: quis non videt,
aut quis dubitat difficillimum fore hos
abusus tollere, pie, & Christiane emen-
dare, atque corrigere, pro quibus ita
prophetatum esse constat statum Ecclē-
siasticum, ut species, & fucus quidam
religionis potius, quam religio appa-
reat, quis emendabit, aut quomodo e-
mendabit hoc Concilium, si personæ Con-
cilii

cilii ad nutum, & voluntatem Pontificis vivere, ad ejus præscriptum agere omnia, ad ei obediendum, & conservandum ejus honorem, statum & potentiam juramenti debeant esse & manere obligatæ?

Sæcul. XVI.
A.C. 1552

Declarandum ergo, & exprimendum hoc amplius fuisset, quod, quicumque sunt in Concilio Cardinales, Archiepiscopi, Prælati, atque omnes omnino omnium Ordinum, & officiorum homines, per talem Constitutionem suis juramenti Pontifici præstitis, quantum ad Concilii causas, & ejus reformationem spectat, debeant esse liberi, & soluti, & quod per illam ipsam Constitutionem liberi & soluti declarati esse debeant, ut eo confisi, & ea libertate freti liberius, quod sentiunt, dicere, in mediumque consulere, ac suffragari libere secundum Sacram Scripturam possint, si vero etiam præterea a Pontifice hoc impetrari posset, quo sua dignitas pro honore Dei, & juvanda Christiana reformatione, atque provehendis communibus commodis ultro relaxaret, ac remitteret eis illa sua juramenta, hoc laudabile, rectum, integrum, atque celebre erit, & apud idiotas hæc res singularem, ac ingentem favorem conciliatura est plus fidei, & fiduciæ paritura, memorem obedientiam, auctoritatemque datura Concilio, & omnibus,

Sæcul. XVI. bus, quæ in eo decreta, & conclusi fue-
 A.C. 1552. rint, eo quod confiteri omnes necesse esset,
 vere libenter, & Christianum hoc esse
 Concilium, in quo liberi homines, libe-
 ra lingua, & voces, libera suffragia
 essent, & non ad hujus, aut illius nu-
 tum, aut voluntatem sententias dicere
 oporteret, si ad Christi verbum, & pra-
 scriptum tractare, & dijudicare omnia
 liceat; certo hoc mirabilem assensum, in-
 gentem favorem, & singularem auctorita-
 tem Concilio ejusque reputationi daturum
 esset. Et quod hæc ita urgeat & fieri
 adeo Princeps noster, quæ ordine dinu-
 meravimus, id non vitio sibi verti, ne-
 que in aliam, quam ipse facit, partem
 accipi etiam, atque etiam orat, testem
 Deum habet, quod cuncta hæc fidelissimo,
 & optimo animo, & affectu scilicet ju-
 cundissimo faciat, quo erga Religionem,
 & Christianam rempublicam afficitur,
 quodque ipsius causæ gravitas, negotii
 magnitudo, hæc ita exigere, & requi-
 vere omnino videtur, neque dubitat, quin
 quicumque pii, prudentes, & sapientes
 estis, quibusque curæ, & cordi est Chri-
 stiana respublica, Christiani orbis cala-
 mitas, & præsens rerum status, intel-
 lecturi ipsimet sitis, hæc summe necessa-
 ria esse, & requiri omnino ad celebran-
 dum vere liberum, & Christianum, at-
 que Universale Concilium, in quo de
 com-

*communi omnium Salute, de vera fi-
de, vero Dei cultu, & divini numinis
sincera invocatione, & veneratione tra-
ctari debet, de tollendis erroribus, &
abusibus, formandis moribus Christiani
populi, & tam Capitis, quam membro-
rum emendatione reparanda, vera pace
Ecclesiae, propaganda fide, & regno
Christi.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1552

*Quare quo cuique hæc sunt cbariora,
quo magis his quisque movetur, & affi-
citur, quo propius tangit sua quæque
propria, & suorum omnium patriæ,
sua, & communis totius populi salus,
pax, & tranquillitas, quo magis amat,
& diligit quisque Deum, & Filii Dei
gloriam propagari cupit, quo beatius
& in hoc, & in futuro sæculo vivere
omnes desideramus, & majori studio,
fide, & diligentia in hoc quisque incum-
bat: qua in re & Deo omnipotenti, &
toti orbi Christiano gratissimum, ac ve-
re bonum opus præstabitis, & vestrae,
vestrorumque, atque omnium Saluti con-
suletis, quod ut fiat, faxit Christus Je-
sus Dominus, & Salvator noster, cui
cum Deo Patre, & Sancto Spiritu sit
bonor, Laus, & Gloria.*

*Hujus Orationis exemplar Legatus
illi, qui erat a secretis, tradidit: Promo-
tor vero omnium Patrum nomine re-*

X 3

spon-

Sæcul. XVI. spondit, quod Synodus discussis eorum
 A.C. 1552. postulatis congruum datura sit respon-
 sum.

§. XLII.

*Synodi iudicium circa Protestantium
 postulata.*

*Mem. de
 Varg. lettr.
 de Malvend.
 ad Episc.
 Atreb. 27.
 Jan. 1552.
 pag. 496.*

Abeuntibus hisce Oratoribus, Præla-
 ti unacum Præsidibus ad Sessionem
 altera die celebrandam necessaria di-
 sponerant, simulque circa petitiones a
 Protestantibus propositas deliberabant,
 nec non rationes, ob quas oblatam se-
 curitatis cautionem respuebant, exa-
 minabant: porro cum Patres ex Legati
 jussu hac super re conferrent, una o-
 mnes censebant, nihil omnino in datæ
 fidei formula Protestantibus exhibita
 esse immutandum, ne innumeræ exin-
 de contentiones orirentur, novisque dif-
 ficultatibus res involveretur; quippe
 Protestantium temeritas jam eo abibat,
 ut haud contenti, quod suæ sectæ opi-
 niones retulissent, ac rationes, quibus
 ad hosce errores amplectendos, ac di-
 vulgandos inducerentur, exposuissent,
 insuper Synodo leges, & condiciones
 ab ea omnino servandas præscribere at-
 tentarent. „Audacter, inquit Malven-
 „da in quadam epistola ad Atrebaten-
 „sem Episcopum, præter alia postulavit,
 „ut

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

„ut Synodus summo Pontifice superior
 „declaretur, atque Episcopi ab obsequii,
 „& fidei Pontifici præstitæ juramento
 „solvantur. Sane adhuc tolerandum
 „esset, si talia petentes sub ejusmodi con-
 „ditionibus sese Synodi judicio, ac de-
 „finitioni submittere promitterent, ac
 „Concilium tanquam supremum tribu-
 „nal, cujus Judices plena libertate gau-
 „dentes, controversos articulos deci-
 „dendi jus habent, tum agnoscere vel-
 „lent; nam si Protestantes hæc pa-
 „lam, ac sincere profiterentur, eorum
 „petitiones aliquantulum æquæ videri
 „possent; quis autem tolerare poterit,
 „quod ipsi conditiones, legesque præ-
 „scribere audeant, ac sese cujuscunque
 „judicio subiicere recusent, adeo, ut
 „præter Sacras literas nullum alium ju-
 „dicem agnoscant. Quis hanc agendi
 „rationem ab injustitiæ, & arrogantia
 „vitio absolvere valet.

„Ea res minime sufferenda mihi vi-
 „detur: insuper iidem præter ea, quæ
 „in suis mandatis præscripta habent, *Pallav. l. 12.*
 „nihil aliud admittere contendunt, suis-*c. 15. n. 18.*
 „que Principibus in hoc, quod re ipsa *& seq.*
 „in Concilio comparuerint duntaxat
 „satisfacere student, postea vero iisdem
 „suis erroribus inhærentes ad sua redi-
 „re statuunt: nam quidquid Synodus
 „eis demum concesserit, nil amplius

X 4

„Con-

Sæcul. XVI. „Concilio tribuunt, nisi ut eos dunta-
 A.C. 1552. „xat audire valeat. Ita præfatus Do-
 ctor mentem suam explicabat.

§. XLIII.

Sessio XV. Concilii Tridentini.

Labbe Coll.
Conc. t. 14.
pag. 831.
Nicol. Pf.
p. 286. &
311.

Postquam Protestantium Deputati in
 nupera Congregatione fuerant au-
 diti, mox altera die, seu vigesima quin-
 ta Januarii in Ecclesia S. Vigili pro mo-
 re Sessio decima quinta celebrabatur,
 ac Sacro solemniter per Ascanium Gher-
 ardinum (*) Catanensem Episcopum
 decantato Joannes Baptista Campeg-
 gius Majoricensis Antistes sermonem ob-
 latini sermonis eloquentiam præstantif-
 simum perorabat. Postea Legatus præ-
 missis consuetis solemnibus Sessioni ini-
 tium dabat, Hymnoque de Spiritu
 Sancto, *Veni Creator &c.* absoluto,
 adjunctisque Versu, ac precatione, idem
 Catanensis Episcopus consensu fug-
 gestu alta voce sequens prælegit decre-
 tum, quo in favorem Protestantium,
 qui hanc prorogationem petebant, ar-
 ticulorum decisio usque ad decimam no-
 nam Martii Sancto Patri Josepho sacram
 differebatur.

§. XLIV.

(*) Pallavicinus lib. 12. c. 15. n. 18. illum
 appellat Nicolaum Mariam Carracciolum.

Decretum de proroganda Sessione.

Cum ex eo, quod proximis Sessionibus decretum fuit, Sancta hæc, & universalis Synodus, per hos dies accuratissime, diligentissimeque tractaverit ea, quæ ad Sanctissimum Missæ Sacrificium, & ad Sacramentum Ordinis spectant, ut bodierna Sessione, quemadmodum Spiritus Sanctus suggessisset, decreta de his rebus, & quatuor præterea articulos ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinentes, in hanc tandem Sessionem dilatos publicaret, atque interim affuturos esse putaverit ad hoc Sacrosanctum Concilium eos, qui se Protestantes vocant, quorum causa eorum publicationem articulorum distulerat, & ut libere, & sine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam, sive Salvum-conductum concesserat, tamen cum illi nondum venerint, & eorum nomine supplicatum huic Sanctæ Synodo fuerit, ut publicatio, quæ bodierna die facienda fuerat, in sequentem Sessionem differatur, certa spe allata, affuturos esse omnino multo ante illam Sessionem, Salvo conductu amplioris formæ interim accepto, eadem Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, iisdem Legato, & Nuntiis præsidentibus, nihil magis optans,

X 5

quam

Sæc. XVI. A.C. 1552. *quam ex præstantissima natione Germanica, omnes de Religione dissensiones, & Schismata tollere, ac ejus quieti, paci, otioque consuleve parata, ipsos, si venerint, & humaniter accipere, & benigne audire, confidensque, eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, sed veritatis cognoscendæ studio esse venturos, & ut Evangelicæ veritatis studiosos decet, Sanctæ Matris Ecclesiæ decretis, ac disciplinæ, ad extremum esse acquieturos, sequentem Sessionem ad edenda, & publicanda ea, quæ supra commemorata sunt, in diem festum Sancti Josephi, qui erit dies decima nona Mensis Martii, distulit, ut illi satis temporis, & spatii haberent, non solum ad veniendum, verum etiam ad ea, quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda, quibus ut omnem diutius cunctandi causam adimat, fidem publicam sive Salvum conductum ejus, qui recitabitur, tenoris, & Sententiæ libenter dat, & concedit: interea vero de Matrimonii Sacramento agendum, & de eo præter Superiorum decretorum publicationem, definiendum esse, eadem Sessione statuit, & decrevit, & prosequendam esse materiam Reformationis.*

§. XLV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

Securitatis diploma Theologis Protestantibus datum.

Postea prælegebatur fidei datæ diploma, quod Concilium eodem ferme tenore, quo Basileensis Synodus olim Bohemis dabat, nunc quoque Protestantibus concedebat, eratque his conceptum verbis.

Labbe p.832.

Psalm. pag.

311.

Sacrosancta Oecumenica generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, presidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nuntiis, inhærendo Salvo conductui in penultima Sessione dato, & illud juxta tenorem infra scriptum ampliando, universis fidem facit, quod omnibus, & singulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militaribus, Popularibus, & aliis quibuscunque viris, cujuscunque status, & conditionis, aut qualitatis existant, Germanicæ Provinciæ, aut nationis Civitatibus, ac aliis locis ejusdem, & omnibus aliis Ecclesiasticis, & Secularibus, præsertim Augustanæ Confessionis personis, qui, aut quæ una cum ipsis, ad hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quo-

Sæcul. XVI. quocunque nomine censeantur, aut va-
 A. C. 1552. leant nuncupari tenore præsentium, pub-
 licam fidem, & plenissimam, verissi-
 mamque securitatem, quam Salvum Con-
 ductum appellant, libere ad banc Civita-
 tem Tridentinam, veniendi, ibidemque
 manendi, standi, morandi, proponendi,
 loquendi una cum ipsa Synodo, de qui-
 buscunque negotiis, tractandi, exami-
 nandi, discutiendi, & omnia, quæcun-
 que ipsis libuerit, ac articulos quoslibet
 tam scripto, quam verbo libere afferen-
 di, propalandi, eosque Scripturis Sa-
 cris, & Beatorum Patrum verbis, Sen-
 tentiis, & orationibus declarandi, as-
 struendi, & persuadendi, etsi opus fuerit
 etiam ad objecta Concilii generalis re-
 spondendi, & cum iis, qui a Concilio
 delecti fuerint, disputandi, aut chari-
 tative absque omni impedimento confe-
 rendi, opprobriis, convitiis, ac con-
 tumeliis penitus semotis, & signanter,
 quod causæ controversæ secundum Sa-
 cram Scripturam, & Apostolorum tra-
 ditiones, probata Concilia, & Catho-
 licæ Ecclesiæ consensum, & Sanctorum
 Patrum auctoritates in prædicto Conci-
 lio Tridentino tractentur, illo etiam
 addito, ut religionis prætextu, aut de-
 lictorum circa eam commissorum, aut
 committendorum minime puniantur, im-
 pertitur, & omnino concedit, sic etiam

ut propter illorum praesentiam neque in itinere, aut quocunque locorum eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipsa Civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur, & ut bis peractis, vel non peractis, quandocunque ipsis libuerit, aut majorum suorum mandato, & assensu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque ulla venientia, & occasione, aut mora salvis rebus eorum, & suorum pariter honore, & personis vice versa possint, juxta be eplacitum libere, & secure redire, de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum securitati absque dolo, & fraude provideatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Vult etiam Sancta Synodus in hac publica fide, Salvoque conductu omnes, & quascunque clausulas includi, & contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci, & sufficienti securitate, in eundo, stando, ac redeundo necessaria, & opportuna fuerint, illud etiam ad majorem securitatem, & pacis, ac conciliationis bonum exprimens, quod si quispiam, aut illorum aliqui, sive in itinere Tridentum veniendo, sive ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset bujus fidei publicæ, & assecurationis beneficium eis concessum

an-

Sæcul. XVI. A. C. 1552. annullari, aut cassari, vult, & concedit, ut in bujusmodi facinore deprehensi ab ipsis duntaxat, & non ab aliis condigna animadversione cum emenda sufficienti per partem ipsius Synodi merito approbanda, & laudanda mox puniantur, illorum assécurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis.

Pariformiter & vult, ut si quisquam vel aliquis ex ipsa Synodo sive in itinere, aut manendo, aut redeundo aliquid enorme, quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset bujus fidei publicæ, & assécurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli, in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsa Synodo duntaxat, & non ab aliis condigna animadversione, & emenda sufficienti per partem Dominorum Germanorum Augustanæ Confessionis tunc hic præsentium merito laudanda, & approbanda mox puniantur, præsentis assécurationis forma, conditionibus, & modis manentibus omnino illibatis.

Vult præterea ipsa Synodus, quod liceat ipsis Oratoribus omnibus, & singulis toties, quotiescunque opportunum fuerit, seu necessarium ad auram capiendam exire de Civitate Tridentina, & reverti ad eandem, nec non nuntium, vel nuntios suos ad quæcunque loca pro suis

suis necessariis negotiis ordinandis libere Sæcul. XVI.
A.C. 1552.
mittere, seu destinare, ac ipsos missos, seu destinatos, seu missum, & destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire, ita quod aliqui, vel aliquis per deputandos Concilii societur, qui eorum Securitati provideant, vel provideat. Hic quidem Salvus Conductus, & securitates stare, ac durare debent, & a tempore, & per tempus, quo in ipsius Synodi, & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & usque dum ad Tridentum perducti fuerint, ac toto tempore quo ibidem manebunt, ita, ut rursum post sufficientem audientiam habitam spatio viginti dierum præmissis, cum ipsi petierint, aut Concilium habita bujusmodi audientia ipsis recessum indixerit a Tridento, usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum Deo favente restituet, dolo & fraude prorsus exclusis.

Quæ quidem omnia pro universis, & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus personis, cujuscunque status, & conditionis existant, aut quocunque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit, & bona fide spondet: insuper omni fraude, & dolo exclusis vera, & bona fide promittit ipsam Synodum nullam, vel manifeste, vel occulte occasionem quæsituram, aut aliqua

Sæc. XVI.
A.C.1552.

qua auctoritate, potentia, jure, vel statuto, privilegio, legum, vel Canonum, aut quorumcunque Conciliorum, præsertim Constantiensis, & Senensis, quacunque forma verborum expressa in aliquod bujus fidei publicæ, & plenissimæ assècurationis, ac publicæ, & liberæ audientia ipsi per Sanctam Synodum concessæ præjudicium quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram, quibus in hac parte pro hac vice derogat: quod si Sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis, cujuscunque conditionis, vel status, aut præeminentiæ existens præscriptæ assècurationis & Salvi-Conductus formam, & modum in quocunque puncto, vel clam violaverit, quod tamen avertere dignetur Omnipotens, & sufficiens emendatio mox non fuerit subsequuta, & ipsorum arbitrio merito approbanda, & laudanda, valeant ipsam Synodum habere, perinde ac si incidisset in omnes pænas, quas jure divino, aut humano, aut consuetudine bujusmodi Salvorum Conductuum violatores incurvere possunt absque omni excusatione, & quavis in hac parte contradictione.

§. XLVI.

Protestantium Deputati securitatis promissæ diploma sibi tradi postulantes.

Ab.

Absoluta hac Sessione Protestantes no-
 væ cautionis literas sibi quantocius
 tradi sperabant: verum spe sua delusi,
 cum nihil exhiberetur, tertio post die
 Saxonici Electoris Oratores unacum
 suis sociis Franciscum Toletanum ac-
 cedunt, de hac tergiversatione questu-
 ri; hanc enim moram trahi ajebant,
 ut Synodi forte interruptæ culpa in
 eos reiici posset. Toletanus eos per-
 benigne excepit: ast re infecta dimisit,
 unde cum alterum jam triduum exiisset,
 Argentinensium Deputatus reliquorum
 hortatu animatus Guilielmum Picta-
 vium convenit, ac longiorem moram
 interponi questus Protestantium Theo-
 logos minime venturos declarat, nisi
 prius ipsorum Magistratui de cautione
 satisfaceret. Ad hæc Pictavius sese ex-
 culans respondit, id sine sua culpa fie-
 ri, multumque mirari, quod Toleta-
 nus, cum Cæsareorum Legatorum pri-
 mus esset, tamdiu cunctaretur, hinc
 se itarum ad illum, nec dubitare in-
 quiebat. quin res protinus ad exitum
 deduceretur. Actum hoc fuit die tri-
 gesima Januarii, ac aliquot post horis
 Deputati una omnes ad Toletani ædes
 venire jubentur: comparent ergo illi
 quantocius, atque ibidem Pictavium,
 qui antea accesserat, conveniunt. Præ-
 primis Toletanus interpositam excusat
 mo-

Sæc. XVI.

A.C. 1552.

Sleid. comm.

l. 23. p. 851.

Thuan. l. 9.

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

moram, ac ipsorum dein studium, nec non propensam Cæsaris voluntatem commendans eos hortatur, ut, quamprimum poterunt, suos Theologos adesse juberent, eoquod securitatis literæ ad eorum sententiam legitime essent confectæ, quarum exemplar Synodicorum Scribarum chirographo munitum singulis tradebat.

§. XLVII.

Protestantes de violata fide perperam questi.

Accepto literarum exemplo Deputati abeunt: cum vero illud attentius perlegerent, ea, quæ prius emendari petebant, haud esse immutata, eodemque articulos, quibus oblectabantur, adhucdum insertos fuisse deprehendunt, quapropter ad Cæsaris Legatos redeunt, promissam fidem fuisse violatam querentes: quinimo Saxones vehementius instabant, ut ipsis, quid Synodi Patres ad ipsorum postulata respondissent, significaretur. Hos præ ceteris Pictavius intercept, eoquod Vir Ecclesiasticus, rerumque apprime gnarus, hanc controversiam eo facilius dirimere posset, is igitur suorum Sociorum nomine hæc respondit: „æquo animo hæc tolerate, brevi enim veltris „petitis plene satisfiet: quod autem ve- „stris

„ftris Theologis decidendi facultatem Sæcul. XVI.
 „concedi postuletis, id sane nimis præ- A.C. 1552.
 „mature a vobis fieri videtur; multa e-
 „nim forte per occasionem tribui pote-
 „runt, quæ nunc quidem denegantur.
 „Porro in eo, quod sacram Scripturam
 „velitis solam esse judicem omnis con-
 „troversię, nemo quidem repugnat,
 „sed cum de Scripturæ interpretatione
 „lis oriatur, cui potius credendum est
 „quam Concilio? Scriptura est res ina-
 „nimis, atque muta, sicut etiam sunt
 „reliquæ leges politicæ: judicis autem
 „accomodanda ei vox, ut recte perci-
 „piatur: ea sane Concilii est vox, & hic mos
 „inde ab Apostolorum ætate semper ob-
 „servatus, rebus dubiis exortis: ceterum
 „quod domi vestra velitis tractare sacra,
 „non quidem vobis palam conceditur,
 „sed tamen etiam non prohibetur, ne vero
 „quid in vestram religionem, atque
 „doctrinam protervius fiat, non est,
 „quod vereamini, & severe prohibitum
 „est: nam & Cæsar ita vult, & Patres
 „etiam verborum immodestiam omnem
 „execrantur: cumque pacis caussa con-
 „veniatur, nulli erit sua impunita pro-
 „tervia, & intemperantia.

Postea Pictavius ceteros omnes,
 quibus Protestantes insistebant, articu-
 los percurrens, hæc addidit: „rogovos
 „ne decreta jam facta novo examini

Y 2

„subi-

Sæcul. XVI. „subiici contendatis, nec velitis hanc
A. C. 1552. „maculam inurere tot Viris longe
 „præstantissimis æque, ac doctissimis,
 „qui cunctos articulos summa solertia,
 „ac integritate discusserrunt: sufficiat vo-
 „bis, quod fidem nostram interpona-
 „mus, ac spondeamus, vestros Theo-
 „logos de rebus omnibus, quascunque
 „proponere voluerint, audiendos esse:
 „ceterum circa hoc, quod Papam ce-
 „teris parem esse, ac jusjurandum E-
 „piscopis remitti petatis, cum ea res
 „unice ad ipsum pertineat, nihil eo
 „haud prius consulto a Patribus decer-
 „ni potest: porro cum Wirtembergensium
 „Oratorum postulata ejusdem pro-
 „pe conditionis sint, hinc eadem quo-
 „que Patrum sententia est, . His deni-
 „que Pictavius subjunxit: „obsecro vos,
 „ne ob causas adeo leves impediri pa-
 „tiamini, atque tolli tam optatam rei
 „Sanctissimæ gerendæ occasionem, cu-
 „jus haud dubie fructum sunt omnes per-
 „cepturæ provinciæ, sed detis operam,
 „& vestris omnino persuadeatis, ut
 „Theologi quamprimum veniant, cum
 „non possint majus in hoc tempore be-
 „neficium ipsi reipublicæ præstare.

Denique multo sermone ultro, ci-
 troque habito, cum Cæsaris Legati po-
 tissimum urgerent, injustitiam sapere,
 quod inter duas litigantes una dunta-
 xat

xat pars de re controversa judicem age-
 re contendat: tandem colloquium dis-
 solvebatur, Protestantium Deputatis
 palam declarantibus, quod publicæ fi-
 dei diploma non alia lege suscipere ve-
 lint, nisi ut illud ad Magistratum quis-
 que suum transmittant, idque se nulla
 mora facturos ajebant, nec etiam
 ullatenus huic se defuturos negotio
 spondebant, præcipue, cum de suorum
 Theologorum adventu minime despera-
 rent. Nec verbis defuit operis con-
 stantia; quippe Saxonix Oratores quan-
 tocius securitatis datæ cautionem mit-
 tebant ad Electorem, ejusque Theolo-
 gos, quos tum Augustam pervenisse
 existimabant: Wirtembergenses vero
 datæ fidei tabulas ipsimet deferebant,
 domum profecti die prima Februarii,
 annuente ipsorum Principe, qui non
 multo post horum loco alios submitte-
 bat Oratores. Insuper Saxonici Ele-
 ctoris Theologi, quos inter præcipuus
 erat Melancton, jamjam Norimbergam
 venerant, ibidem expectare jussi,
 donec promissæ securitatis tabulæ eis-
 dem Tridento mitterentur. Verum vix
 eo venerunt, cum ulterius etiamsi præ-
 fatæ cautionis literas accepissent, pro-
 gredi prohiberentur, usquedum certio-
 res fierent de prospero successu futuri

Sæcul. XVI.
 A.C. 1552.

Sæcul. XVI. colloquii cum Cæsare, ad quem Elector
A.C. 1552 eorum Dominus iturus dicebatur.

Interea Synodi Patres suas prosequabantur Congregationes, in quibus quæstiones in prioribus eorum Conventibus nondum discussæ examinabantur: Verum hæc illorum studia haud diu perdurasse videntur; cum enim Franciscus Vargas circa Mensis Januarii exitum Tridento Oenipontum abiret, toto illo tempore aliquamdiu nempe usque ad vigesimam primam Februarii diem, qua hic Minister rediit, a pertractandis Synodi negotiis vix non cessatum est: cum vero Franciscus fuisset reversus Cæsaremque de præsentis Synodi statu certiores reddidisset, nulla mora Ministri quæstionum examina rursus suscipi petebant, suadentes, ut præprijis articuli Sacramentum Matrimonii concernentes agitentur, non tam Antistitum, ac Theologorum ingenia rursus exercendi, quam Synodum nullatenus esse interruptam vulgo persuadendi causa. Equidem huic Cæsareorum Oratorum consilio nonnihil oblectabatur Papæ Legatus, causatus, quod usque ad proximam Sessionem pro discutendis Matrimonii quæstionibus haud sufficiens decurreret temporis spatium, unde potius rupta omni mora controversias Sacramentum Ordinis tangentes

tes esse dirimendas contendebat. Cum Sæc. XVI.
 autem Caroli V. Oratores probe per- A.C. 1552.
 spicerent, quod Legatus Universalem
 Pontificis Monarchiam stabilire inten-
 deret (*) hinc totis viribus obsistebant,

Y 4 ne

(*) Hæc omnia Continuator ex sæcunda
 ingenii sui officina deprompsit, simul tamen
 animum livore in summos Pontifices exun-
 dantem manifeste prodidit; quis enim sanæ
 mentis homo absque cachinis insulsam ejusdem
 animadversionem de Universali Pontificis Mo-
 narchia perlegere poterit? num ergo primum
 Anno 1552. & quidem per Synodica decreta
 circa Sacramentum Ordinis summi Pontificis
 Primatus (non modo dignitatis, sed etiam ju-
 risdictionis) seu universalis Monarchia Ec-
 clesiastica stabiliri cæperat! ea si non jam ab
 ipso Christo Domino ad hanc usque diem fuisset
 stabilita, num eo tempore, quo non modo
 hæretici, sed etiam nonnulli Principes, ac
 Reges illam impugnabant, ac contra hanc Sy-
 nodum suas, ut vocant, Protestationes in-
 terponebant, nunc inquam, Papa sperare po-
 tuisset, eam per ejusmodi Synodi decreta
 primum stabilitum iri? Cur ergo Caroli V.
 Oratores contra Decreta de Sacramento Or-
 dinis non reclamarunt, quando postmodum ea
 re ipsa in Sess. XXIII. fuere promulgata, cur
 causati non sunt, universalem Pontificis Mo-
 nar-

Sæcul. XVI. A.C. 1552. ne quæstiones de Matrimonio ante Protestantium adventum præponerentur: Porro hisce altercationibus utrinque ferventibus nullus ex hisce articulis discutiebatur, atque hæc ipsa socordia haud parum ad sinistros rerum successus conferebat; imo non deerant, qui Papæ Ministros inculpabant, perinde ac si Synodi dissolutionem machinarentur: Præterea alii criminabantur, quod ipsemet Pontifex Concilium Mantuam transferre meditaretur.

§. XLVIII.

Varalli Pontificii Nuntii molimina in Gallis pro dirimenda Parmensi causa.

Verum eo tempore Julium Pontificem magis intentum tenebat sollicitudo, qua cum Galliarum Rege concordiam redintegrare satagebat, hancque in rem, ut supra meminimus, Varallum tanquam Sedis Apostolicæ Legatum decernebat. Hic idem aliquo abhinc tempore in Franciam delatus absque ul-

narchiam stabiliri? Nempe si Tridentina Synodus Basileensium more statuisset, Papam Synodo subici, certe a Continuatore nostro tanquam universalis, legitima, ac Sacrosancta deprædicaretur.

lius moræ dispendio pacis confilia eo Sæc. XVI.
 promptius maturare adlaborabat, quo A.C. 1552.
 ardentius ab ipso Rege bello finem im-
 poni cernebat: quapropter utrinque
 præprimis conventum, quod Octavius
 Farnesius Parmam Sedi Apostolicæ re-
 stitueret, sub iis tamen, quæ sequun-
 tur, conditionibus. I. Octavio Principi
 damnum æquali pretio compensetur.
 II. Papa Parmensem urbem nunquam
 Cæsari cedat: cum igitur summus Pon-
 tifex primævo naturæ beneficio pro-
 pensum ad pacem animum foveret, hoc-
 que bellum alienæ potius ambitioni,
 quam propriæ propensione satisfactorius
 suscepisset, ac aliunde expensas in ejus-
 modi bella prodigendas abhorreret,
 hinc sibi ejusmodi conditionibus ad fir-
 mam pacem aditum parari lætabatur,
 moxque ad suum Legatum perscribebat, Pallav. l. 13.
 quod præfatas duas propositiones lu- c. 1. n. 6. 10.
 bens acceptaret, ac vicissim Octavio Et c. 2. n. 1.
 Camerinum Principatum præter alia pro Et seq.
 Parmensi Ducatu cedere paratus esset; Thu. l. 10.
 quod autem eandem urbem soli Apосто-
 licæ Sedi reservaturus esset, totum Sa-
 crum Collegium cavere ajebat, ita
 tamen, ut Cæsar per diploma suo chi-
 rographo munitum in hæc pacta con-
 sentiat, & in Imperiale hoc prædium
 semper utriusque jus illæsum conserve-
 tur. Insuper spondebat Pontifex, quod
 huic

Sæcul. XVI.
A.C.1552. huic urbi Gubernatorem Gallis haud suspectum præficere, nec unquam diffidiis inter Carolum, & Henricum Regem emergentibus illi favere vellet. His ita perscriptis mox Papa Camajanum ad Imperatorem ablegabat, qui eundem de tota rei serie edoceret.

§. XLIX.

Pax Cardinalis Turnonii ministerio agitata, ac prospero successu confecta.

Thuan. l. c.
Pallav. n. 2. His articulis utrinque firmatis Turnonius Cardinalis, qui tum Venetiis agebat, ab Henrico II. Romanum pergere iussus summum Pontificem accessit, postremam huic paci manum admoturus, simulque eidem dabatur negotium, ut Papam, si fieri posset, toto conatu ad Parmam Octavio relinquentem adigere studeret. Hic idem Cardinalis tanta utebatur dexteritate, tamque validas proponebat rationes, ut Pontifex haud cunctanter petitis annueret, spe fretus, litem de Parmensi Ducatu temporis progressu facile componi posse: præter alia enim eidem suggererebant Galli, quod nonnisi belli induciæ agitentur, eo fine, ut haud amplius Parmensem ditionem Farnesii eripere moliretur, interea autem

durantibus hisce induciis Galli omnem impensuri essent operam, ut hoc diffidium amicis mentibus componeretur. Hoc medium summus Pontifex, qui omnem a se culpam apud Cæsarem amoliri unice intentus erat, ratum habere videbatur, atque ipsa etiam concordiaë pacta, priusquam concluderentur, ac mutuo consensu firmarentur, in pleno Purpuratorum confessu exponerat, plurimum Galliarum Regis moderationem, pietatemque commendans.

Sæcul XVI.
A.C. 1552.

§. L.

Articuli induciarum Papam inter, & Galliarum Regem initarum.

Porro facta armorum cessatio duntaxat ad Parmensem, & Mirandulanum Principatum, necnon ad Placentinam, aliasque circumvicinas urbes sese extendebat, hisce circumscripta articulis I. Durante hoc bello Cæsarem inter, & Galliarum Regem summus Pontifex neutri parti suppetias ferat II. Per biennium ab armis cessetur, nec ex Parmensibus, Mirandulanis, & Castrensibus præsiidiis quidquam damni Cæsari, & cum eo foederatis detur: III. Intra idem tempus Pontifex illorum neutri bellum gerenti copiis, opibus, aut ullo favore præsto sit, nec patiat, ut delectus

Thuan 1. 10.

Sæcul. XVI. lectus in suæ ditionis locis habeantur, A C. 1552. transitumve, aut commeatum ad utriusvis exercitus alendos concedat; IV. Castrum Horatio Farnesio restituatur, accepta Alexandri, & Ranutii Cardinalium fratrum fide, qui proprio nomine pro Horatio Pontifici caveant; V. copiæ Pontificiæ, quæ Mirandulam obsident, educantur, & temporis certi spatium præfiniatur Cæsari ad deliberandum, an velit in has induciarum leges consentire, vel id facere renuat spectata tantum Parmensis, & Mirandulani territorii ratione. Additum & a Pontifice, ut biennio exacto liberum sit Octavio Farnesio, etiam sine regis Consensu cum Pontifice, & quibusvis aliis pacisci.

His ita compositis Julius Papa Camajano suo apud Cæsarem Nuntio iunxit, ut eidem proponeret, an & ipse huic foederi accedere vellet. At Carolus aliunde Germanici belli mole graviter pressus ad hanc propositionem distinctis verbis respondere renuit, sed duntaxat hanc agendi rationem a Pontifice ostensam redarguebat. Ceterum haud aliam ob causam tum Cæsar aperte mentem suam promere cunctabatur, nisi quod magnam haberet fiduciam in Joanne Baptista Montano Pontificis Nepote, quem insita gloriæ cupidi-

piditate stimulum rem ita dextre gef-
surum sperabat, ut ad bellum cum Gal-
lis gerendum etiam invitum Patrum
suum pertracturus esset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. LI.

*Joannes Baptista Montanus Papæ
Nepos trucidatus.*

Cum autem hic idem Joannes Bapti-
sta juvenis esset animi fortitudine
nemini secundus, nil intentatum, in-
ausumque reliquit, ut Papam a fœdere
cum Gallis firmando absterreret, quin-
imo se etiam Cæsaris vexilla secuturum
minitabatur, ut adversus Franciam bel-
lo decertare posset: id vero, etsi forte
firmo statuisset animo, exequi haud
poterat; quippe Mirandulanæ urbis
Præsidariis in Papæ copias erumpen-
tibus, Joannes periculi contemptu in-
cautius, longiusque abreptus, atque
equo prius occiso delapsus & ipse a
Gallis trucidatus est. Comperta hujus
juvenis morte haud parum affligebatur
Pontifex: ast postmodum seriam mente
perpendens, quod ejus obitu cum Gal-
lis pacem firmandi libertatem nactus
esset, brevi a dolore animum revoca-
bat, *inopina (ut inquit Thuanus) læ-
titia exultans, quod oportuna sese obtu-
lisset occasio secure imposterum vivendi,*
eo

*Pallav. l. 13.
c. 2. n. 3.
Thuan. l. c.*

Sæc. XVI. A.C. 1552. *eo sublato, qui propter innatam ambitionem, atque immoderatam gloriæ cupidinem abs dubio fuisset impedimento, quominus integra tranquillitate fruere-
tur.* Quapropter etsi Cosmus Florentiæ Dux Alexandrum Stroccium ablegasset, non tam ut Papam de Nepotis sui iactura solaretur, quam eundem admoneret, quatenus Cæsarem nullatenus desereret, sed constans in suo proposito permaneret, nihilominus Papa in Ferdinandum Gonzagam, eoquod hoc bellum non minus avare, quam negligenter administrasset, totam sinistri successus causam rejecit, atque ab obsidione Mirandulana se omnino discessurum respondit, moram tamen impositurum aiebat, ut Cæsar, si forte obsidionem profequi vellet, munimentis a Joanne Baptista erectis præsidium militem imponere posset.

§. LII.

Mirandulæ obsidio Pontificis jussu soluta.

Pallav. l. c. *Thu. ut supra* **I**nterea Pontifex Camillo Ursino, nec non Alexandro Vitellio, qui occiso Joanne Baptista Montano Pontificii exercitus Dux nominabantur, præcipiebat, ut ab armis desisterent, omnesque copias unacum annona, bellique tor-
men-

mentis inde reducerent: Cum ergo omnia prorsus propugnacula ab hostibus defererentur, mox Galli ea occupabant, ac Hyppoliti Estensis Cardinalis Ferrariensis studio, ac diligentia urbs solido anno obsessa, omniumque rerum inopia laborans abunde annona instruebatur. Equidem tria Germanorum milia a Mariniano Marchione submissa accurrerant: verum accepto solutæ obfisionis nuntio mox recesserunt. Postea Imperator palam de Papa, præprimis vero de Vitellio querebatur, eo quod hic datam violasset fidem, qua se, si ab urbe recederet, munimenta Cæsareis traditurum promiserat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. LIII.

Incertus rumor de interrumpenda Synodo.

Acriori adhuc dolore affligebatur Cæsaris animus accepto nuntio, quod Tridentini Concilii res minus prospere succederent, ac potissimi Præsulum, qui Cæsaris imperio obnoxii erant, urbe excessissent, quamprimum fama increbuerat, quod Mauritius Elector novos in Germania tumultus suscitaret. Enimvero hic rumor adeo invalescebat, ut Tridentina Synodus postea penitus interrumpetur.

Cum

Sæc XVI.
A. C. 1552.

Cum enim Mauritius Elector suos Theologos, qui jamjam Norimbergam pervenerant, ibidem etiam securitatis literis eo, quo petiissent, modo obtentis, nihilominus subsistere, ac expectare juberet, eoquod ipsemet ad Cæsarem propediem esset profecturus, hoc Electoris mandatum primo quidem futuræ concordiæ spem inspirabat, quinimo eadem progressu temporis magis, magisque augebatur allatis literis, quas ipsemet Mauritius ad suos Oratores Tridenti adhuc agentes dederat: quippe his literis Elector præcipiebat, ut ejus Legati ea, quæ nondum a Patribus impetrassent, urgerent; nam se in animo habere ajebat, brevi ad Cæsarem ire, spemque faciebat, si modo idonee caveretur, futurum, ut alii plerique Principes, & in his Pomeraniæ Duces patruelles sui, ac civitates suo exemplo legatos, ac Theologos ad Concilium mittant. Eæ literæ ad Cardinalem Tridentinum, cui cum Mauritio arctissima amicitia erat, perlata, subitoque evulgata, ipsum Tridentinum primo, dein etiam alios spe magna impleverunt, fore, ut gliscens diffidum tandem componeretur; de quo licet rumor passim spargeretur, & Concilium prorogatum iri plerique miffarent, factò tamen cum Galliæ Rege foede-

foedere bellum a Protestantibus in Cæsarem parari apparebat, id tamen summa industria a Cæsare, & ejus Ministris dissimulabatur, & Pictavius quidem vanum de prorogando Concilio rumorem esse, & Cæsarem omnino cupere, ut Concilium continuaretur, apud legatos edifferebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. LIV.

Trevirensis Electoris discessus, ac vehementem ejusdem Legati oratio.

Attamen, cum Mauritius suos Theologos, qui Norimbergæ subsistebant, revocasset, ac insuper nuntiatum fuisset, quod ipsemet, prout tamen in suis literis perscripserat, nullatenus Oenipontum ad Cæsarem perrexisset, sed ad sua reversus fuisset, quinimo etiam palam milites conscribere inciperet, tunc primum patuere ejus consilia, ac ceteri pariter Tridento discedere parabant. Præprimis Archiepiscopus Trevirensis S. R. J. Elector abierrat, quæsito obtentu adversæ valetudinis, propter quam vires reficiendi gratia in patriam suam reverti cogentur: igitur die decima sexta Februarii Tridento diceffit, cum prius Cæsaris licentiam obtinuisset, ea tamen lege, ut recuperata salute quantocius rediret.

Sleid p. 854.
855.
Thuan. l. 9.
Pallav. l. 13.
c. 2. n. 4.

Hist. Eccles. Tom. XLI. Z Ni-

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.

Nihilominus Theologum Ambrosium Pelargum ex Ordine Fratrum Prædicatorum Tridenti reliquit, ut Patrum Conventibus, ac Sessionibus interesse posset. Hic cum die septima Februarii sermonem ad populum haberet, illius diei, quæ erat Dominica ante septuagesimam, Evangelium de Zizania tritico permixta in Hæreticos detorquebat, asserens, hos duntaxat esse tolerandos, quando absque majoris mali periculo penitus extingui nequirent: de cetero autem quocunque demum modo Zizaniam esse eradicandam (*). Hujus Theologi sermo ingentes concitabat tumultus, nec deerant, qui ad Saxonum Deputatos referrent, quod hic Prædicator acerbius in hæreticos declamasset, imo etiam dixisset, fidem illis datam non esse servandam (**).

(*) Continuator hæc ex Sleidano l.c. descripsit, hic tamen unice hæc habet: *Pelargus locum illum explicans, qui est de Zizania tritico permixta, tolerandam esse Zizaniam dicebat inter alia, quocunque modo, si tamen absque tritici detrimento fieri possit.*

(**) En! qualiter fama volando crescat, omnique tempore Hæretici mendaciorum ope vulgi rumores extollant, atque ob unicum verbulum contra verbi Divini Præcones, omnes-

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.

quapropter ea de re apud ipsum Cardinalem Tridentinum, nec non Cæsaris Ministros querelas suas deferebant. Ergo Religiosus comparere jubetur: ille autem se duntaxat de hæreticis generatim fuisse locutum, claroque Evangelii sensui instituisse ajebat; de fide autem Protestantibus non servanda, ne unicum quidem verbulum sibi excidisse; haud enim se ignorare dicebat, quod severam omnino pœnam, si id fecisset, ob violatum Synodi decretum fuisset promeritus. Hac Pelargi excusatione Saxones contenti nil amplius contra eum movebant. Referunt nonnulli, quod Trevirensis Elector ob hujus diffidii rumorem citius, quam decreverat, Tridento abiisset, interim ut res se habuerit, id compertum habemus, quod Oenipontum haud pervenerit, ac proin ne quidem cum Cæsare fuerit collocutus.

Z 2

§. LV.

omnesque Catholicos Religionis, ut vocant, gravamina procudant, a Catholicis vero summam exigunt patientiam, etsi ipsi Ecclesiam, Pontifices, Cardinales, utriusque Cleri Viros, omnesque Catholicæ fidei ritus in suis libris, ac publicis etiam theatris passim atrocibus calumniis, & mendaciis obruant.

Sæcul. XVI.

A C. 1552.

§. LV.

Indulgentiarum promulgatio per Pontificis Legatum Tridenti facta.

Sleid. l. c.

Altera Mensis Martii die, quæ eo anno erat dies Cinerum, Legatus affixo ad Ecclesiarum valvas diplomate noxarum remissionem promulgabat pro omnibus fidelibus, præcipue vero Episcopis, Oratoribus, & Theologis, qui sua peccata Sacra Exomologesi expiantes, designatas Ecclesias Tridenti præfixis diebus visitarent, ac devote quinquies precationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam præter alias precationes pro Principum Christianorum concordia, Ecclesiæ pace, ac prospero Synodi successu recitarent. Nihilominus Synodum brevi interruptum iri coniciebant non pauci; eoquod postrema abhinc Sessione nullum negotium fuisset pertractatum, cuius otii culpa unice in Protestantes reiciebatur, eoquod Patres vana spe lactassent, fore, ut eorum Theologi proxime essent adventuri. Eapropter ambo Electores Moguntinus, ac Trevirensis Tridento excedere decreverunt, etiamsi paulo post ex Germania inferiori sat copiose ad eorum ditiones annona fuisset advecta.

§. LVI.

§. LVI.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

Alius Caroli V. Legatus pro differenda Sessione Tridentum decretus.

Interea magis, magisque invalescebat rumor, quod Mauritius Saxonæ Dux cum Henrico II. Galliarum Regem armorum societatem iniisset, brevique Carolo V. bellum nuntiaturus esset: *Memoir de Vargas letr. de l'Evêque d'Aras p. 56.* 57. 80.
 ma itaque ad ipsum etiam Cæsarem delata hic Simonem Renardum Tridentum ablegabat, qui cum duobus Archiepiscopis Moguntino, ac Coloniensi conferret; Trevirensis enim, ut supra meminimus, jamjam annuente Imperatore discesserat, quinimo in ipsa etiam Cæsaris aula pluribus persuasum fuisse videtur, quod Protestantes haud amplius Tridentum venturi essent: porro id saltem certum est, quod Atrebatensis Episcopus hoc idem significaverit in quadam epistola ad Franciscum Vargas Fiscii Procuratorem data. „Haud „ultra, inquit ille, Protestantes Synodum accessuros speramus; nam hu- „jus factionis antesignani populum ad „suas partes pertrahere satagunt spar- „gentes, quod Synodus continuetur, „nec tamen ipsi sint audiendi, vel ea, „quæ jure exigunt, concedenda. Quin- „imo ipsimet Catholici Concilium in- „terrumpi petunt, omniaque ad illius „dis-

Z 3

„dif-

Sæcul. XVI.
A.C. 1552

„dissolutionem conspirare videntur. Po-
„stea paucis interjectis lineis hæc sub-
„jungit : nec minimus dubio locus est,
„in præsentî rerum Germanicarum vi-
„cissitudine Synodi decreta ægre esse re-
„cipienda, imo Protestantes etiam ja-
„ctabant, quod edicto *Interim* haud
„amplius se submittere teneantur, cum
„illius firmitas duntaxat usque ad Con-
„cilii definitionem perdurare deberet:
„Insuper totis viribus decisiones Tri-
„denti promulgatas aggrediuntur, ac
„populum de Ecclesiæ auctoritate mi-
„nus instructum seducere moliuntur, nil-
„que importunius postulant, quam
„sibi amplissimam profiteundæ sectæ suæ
„potestatem fieri. Verum Cæsarea Ma-
„jestas sua optatius habet mortem op-
„petere, quam hanc eis libertatem
„concedere, quam ob rem, necnon
„ob alias rationes ad Principum Lega-
„tos ea, quæ haud ignoras, perscribere
„re statuit. Videtur, quod hæc man-
„data respexerint novam Sessionis ad de-
„cinam nonam Martii indictæ proroga-
„tionem, illiusque executio tum urgen-
„da Simoni Renardo fuerit demandata.

§. LVII.

*Discessus Moguntini, & Colonienfis
Electorum.*

Cæ

Cæsar haud impetrare poterat, ut Moguntinus, ac Coloniensis Electores diutius Tridenti subsisterent; nam hi novo huic, quem Cæsar ad eos decreverat, Legato collocuti, die undecima Martii prima luce cum summa celeritate discedebant, pridie tamen Legatus reliquis stipatus Episcopis Italis, atque Hispanis eisdem salutatum ibat. Ipsis licet abeuntibus adhuc tamen Tridenti persistebant præter Cardinalem Tridentinum, tresque Synodi Præsides, septuaginta duo Episcopi, atque inter eos viginti Hispani, octo Germani, duo Sabaudi, quatuor Siculi, & unus Hungarus, qui omnes numero quadraginta Cæsaris erant subditi, præter reliquos viginti duos Italos, quorum potissimi vel ob familiæ suæ ditio- nes, vel diæceses suas Cæsaris studia sectabantur, ac Tridenti permanebant: Ex Theologis autem, quorum quadraginta duo adhuc aderant, numerabantur viginti quinque Hispani, & duodecim Belgæ: inde vero manifeste elucet, quod cum Cæsareorum fautorum numerus in hoc Concilio ceteris longe superior esset, nunquam de interrumpenda Synodo agitatum fuisset, nisi Patres ad id iniquissima eventuum vicissitudine postea fuissent coacti.

Sæcul. XVI.

A. C. 1552.

Sleid. l. 23.

pag. 856.

Pallav. l. 13.

c. 2. n. 5.

Thu. l. 9. p.

290. & 292.

Z 4

§. LVIII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1552.

§. LVIII.

*Sessio ad primam Mensis Maii diem
prorogata.*

Pallav. l. c.

n. 6.

Thuan. l. c.

Cum interea Imperator in omni hocce rerum, temporisque concursu cunctas res rara prorsus prudentia moderaretur, ac perbenevole Synodi Patres, ut Protestantium Theologorum adventum præstolarentur, rogasset, etiam summus Pontifex, Patresque lubenter annuentes Sessionem, quæ ad decimam nonam Martii erat indicta, usque ad primam Maii diem prorogare decreverunt, ad id potissimum permoti, quod tres S. R. J. Electores a Synodo recesserint, atque Imperator nova mandata dederit (*) Porro Moguntinus, ac Coloniensis Electores Oenipontum pertranseuntes Cæsarem adibant, & cum eo longo admodum tempore conferebant, perhonorifice ab eodem excepti, quinimo Atrebatensis Episcopus eisdem obviam ibat, comitantibus illum Procerum nonnullis. §. LIX.

(*) Jam altera vice Continuator mentionem ingerit de Cæsaris mandatis, quænam tamen ea fuerint, nec ipsemet explicat, nec alii Scriptores memorant; id tamen Continuatori peropportunum videbatur, ut postea eo vero similis interruptæ Synodi culpam in Cæsarem conicere posset.

Altercatio inter Lusitani, & Romanorum Regis Legatos.

Advenerant Tridentum die quinto Martii Jacobus Silva, Joannes Paez, & Jacobus Gouea Lusitani Regis Oratores, qui ad Congregationem pro proroganda Sessione in Legati Palatio habitam admissi ibidem demandatæ facultatis literas exhibebant. Horum primus eleganti sermone Concilii Patres honorabat, datoque eidem responso Synodus Lusitani Regis studium, ac Religionis fervorem unacum gratiarum actione commendabat, ipsaque Legatorum merita plurimum deprædicabat. Postea circa sedis, locique prærogativam quædam oriebatur contentio inter hosce Oratores, ac Romanorum Regis Legatos, eapropter Patres die decima nona Martii conventu habito utriusque partis rationes excipiebant, tandem vero non nisi crebra utrinque altercatione rem ita componebant, ut pro hac duntaxat vice Lusitanicæ Orator primum e Regione Præsidum inter Episcopos locum occuparet, ibidemque legationis suæ negotia exponeret, ac Regis sui nomine obsequium Synodo præstaret, Ferdinandi autem Regis Oratores in Legati cubiculo expectarent.

Sæcul. XVI.
A C. 1552

Id equidem tum effectui datum, cum autem hoc medium pro unica duntaxat vice diffidio obviaret, ac postmodum nec Præsides, nec Synodi Patres hanc litem componere possent, hinc totius negotii decisio ad summum Pontificem referebatur, imo ipse etiam Zagabriensis Episcopus, qui præter alios Ferdinandi Regis Orator erat, datis Romam literis justam Principis sui causam sedulo commendabat hæc perscribens: „Potior locus nobis Ferdinandi „Legatis jure debetur non tantum ex „eo, quod is sit Romanorum Rex, (*) „quæ prærogativa illum in spe tantum „reddit supremum Principem, sed præsertim tale Jus nobis competit, eo quod „idem sit Bohemiæ Rex; nam hic titulus majorem auctoritatem, veramque „affert dignitatem, & nos a Ferdinando „sub hac præcipue prærogativa conspici „cui missi Concilio adsumus.

Ad

(*) Adeo crassam juris publici ignorantiam in Continuatore nostro reperire, abs dubio mirabitur eruditus Lector; quem enim latet, Romanorum Regem proxima spe esse quidem Cæsarem, re tamen ipsa ex sola Romanorum Regis prærogativa præcipuum S. R. Imperii Principem esse, eique propria competere jura.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Ad hæc post maturam rei delibera-
tionem Roma ad Patres ista prescri-
bebantur : , in veteri hac altercatione
„nondum decisa in Concilio Constanti-
„ensi idem fuit observatum , idemque
„mos Romæ obtinet , quoties ipsemet
„summus Pontifex præfens adest , hinc
„Sanctitas sua partibus nondum audi-
„tis hac super re nihil decidere vult :
„de cetero autem hoc negotium tum
„facilius expediendum censet , si Ferdi-
„nandi Oratoribus , cum sint Episcopi , in-
„ter ejusdem Ordinis Præsules primus
„assignaretur locus : Lusitanis autem
„Legatis , utpote Laicis inter Oratores
„itidem Laicos sedes attribuerentur : si
„vero nec ista concordia via arrideret,
„aliam inquirere , Patribus integrum
„erit ; Hac ratione lis adhuc indecisa
permansit usque ad Congregationem
generalem die vigesima quarta Aprilis
habitam , in qua Lusitani e regione
Oratorum Cæsareorum . seu a dextris
Præsidium , ubi alias Electores Eccle-
siastici pro antiquo more suas sedes ha-
bebant , confidebant : econtra vero
Ferdinandi Oratores a sinistris loca sua
occupabant , Præsilibus tamen palam
declarantibus , quod hic sedendi ordo
inneutrius partis præjudicium cederet,
sed unice ob pacis bonum fuerit decre-
tus.

§. LX.

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

§. LX.

Aliorum Wirtembergensium Oratorum adventus Tridentum.

Sleid. comm. Postquam Wirtembergenses Deputati
l. 23. p. 256. jussu Principis sui Tridento abierant,
Thu. hist. l. 9. illuc quatuor alii die undecima Martii
advenerant, iique erant Wernerus,
Munchingus, Hieronymus Gerardus,
& alius quidam, quos duo Argenti-
nenses Deputati comitabantur. Altera
post adventum die Cæsareæ Majestatis
sue Legatos accedebant, supplices, ut
ad sui Principis postulata, quæ nuper
ejusdem Oratores die vigesima quarta
Januarii exposuerant, Synodus respon-
dere vellet; insuper suos Theologos
pariter paucos infra dies adventuros
spondebant, ut hi doctrinæ sue confes-
sionem nuper Patribus exhibitam co-
piosius exponerent. Ad hæc eisdem
fuit responsum, quod Synodi Præsi-
dibus res esset communicanda, mox
vero ea, quæ ab illis perciperent, nun-
taturi. Interea Mauriti Oratores an-
xiis agitabantur curis, eoquod callide
rem egisse, sui que Principis molimina
probe edocti, omnia subdole simulasse
accusarentur: hi quidem nullatenus
quicquam eorum, quæ domi gesta fue-
runt, scire, nec ullas etiam literas ac-
cepisse asserebant, addentes, quod valde
du-

dubitarent, an absque periculo ad sua ^{Sæcul. XVI.}
 reverti valeunt, nihilominus eorum ^{A.C. 1552.}
 verbis haud amplius fides adhibebatur.

§. LXI.

Mauritii Saxoniae Electoris Oratores Tridento discedentes.

Cum ergo hi Legati interposita mora ^{Sleid. l. c.}
 discrimen indies augeri pertimescerent, clam aufugere statuunt, ac die decima tertia Martii antelucano tempore neminem salutantes Tridento exeunt, ac summa celeritate Brixiam delati ibidem Cardinalem Tridentinum accedunt, eum, quid consilii caperent, consulturi: Ceterum quodnam ab eo responsum tulerint, ignoratur.

Hos inter unus, priusquam Tridentum veniret, diu Oeniponti commemoratus Electoris sui nomine unacum sociis suis pro obtinenda Hassiæ Landgravii libertate oblato libello supplici apud Cæsarem deprecabatur, tunc vero abs dubio fidei publicæ literis munitus Oenipontum revertebatur, ac coram Cæsaris Ministris sese purgabat ob sparsos belli rumores, quod ipsius Elector contra Imperatorem moliri diceretur, se vero hujus rei minime conscium, ac nequidem ab aliis credi ajebat. His dictis

Sæcul. XVI. dictis inde in patriam suam reversus est, A.C. 1552. ad quam etiam ejus focius per Serviam iter aggrediebatur, his tamen non obstantibus quatuor illi Wirtembergenses Theologi advenerant, quos inter præcipuus erat Joannes Bremzenus præter Joannem Marbachium, qui una omnes Montfortium Comitem adeuntes rem cum reliquis Cæsareis Oratoribus ita instrui rogabant, ut Synodi Patres ad eorum postulata responderent, ac de controversis fidei articulis disputatio rursus inchoaretur. Interposita hac postulatione mox altera die, seu decima nona Martii habita est Congregatio, in qua Lusitani Oratores, ut memoravimus, fuere auditi, simulque nulla alia re in deliberationem vocata, Sessio ad diem primam Maii fuit prorogata.

§. LXII.

Fidei professio ex Ducis Wirtembergici jussu typis impressa.

Sleid. p. 857. *Thuan. l. 9.* Interea Wirtembergicus Dux sectæ suæ confessionem nuper a suis Legatis Synodo exhibitam typis vulgari præcepit, ejusque Deputati recens submissi, necnon eorum Theologi nonnulla hujus professionis exempla Tridentum attulerunt. Hæc temeritas plurimum offendebat Prælatos, ac præprimis Legatus

gatus id ægre ferens quemdam Triden-
tinum Medicum acrius increpabat, eo-
quod ejusmodi libellos in vulgus spar-
sisset. Pariter Montfortius Comes Wir-
tembergicos Legatos redarguens eis
obiiciebat, quod publicæ fidei leges
violassent, cum longe majori mo-
deratione, ac circumspectione ipsis
utendum foret, eoquod sibi publice de
periculo caveri peterent. Biduo post
Congregationem in Legati ædibus ha-
bitam Pictavius Argentinensium Depu-
tato nunciabat, quod de prosequenda
Synodo longior inter eos sermo fuisset
habitus, ac ipse suam operam, si vel
is, vel ejus Socii quicquam Patribus
proponere vellent, omnino sponderet,
quibus dictis certam eisdem diem con-
stituit: Itaque altera die vigesima se-
cunda Martii Oratores Wirtembergici
æque, ac Argentinenses ad Francisci
Toletani ædes se conferebant, ubi Pi-
ctavius hæc exposuit: Oratores Wir-
tembergici id, quod a suo statim ad-
ventu petierunt, nunc etiam fla-
gitant, nimirum, ut ad postulata jam
pridem exhibita respondeatur: eo facto
commodius ad reliqua posse fieri pro-
gressionem, eorum opinio sit: cum au-
tem idem semper repeterent, Deputati
significabant, quod ad concordiam, de
qua agitur, duæ reperiantur viæ, si
ni-

Sæcul. XVI.

A C 1552.

Sæc. XVI nimirum aut Theologi de omnibus
A.C. 1552. doctrinæ decretis in Concilio factis au-
 diantur, aut in medio ponatur exhibi-
 ta Patribus, & nunc etiam typis evul-
 gata doctrinæ confessio, ejusque
 capita singula suo pertractentur ordine;
 cum eorum Theologi ideo venissent, ut
 doctrinam eo libello comprehensam co-
 piosius explicent, atque demonstrent,
 & iis, qui velint eam oppugnare, re-
 spondeant. Ad hæc Argentinensis De-
 putatus ista reponebat: „Magistra-
 „tus meus legit Wirtembergicæ doctri-
 „næ Scriptum, eamque approbat, ac
 „profitetur, jamque Theologos huc mi-
 „sit, qui huic confessioni sese conjun-
 „gant, & una cum Wirtembergicis
 „eam defendant: porro hæc mei ma-
 „gistratus, & Sociorum nomine vobis
 „referre, hacque super re Concilio fi-
 „dem facere jussus sum.

Ad hæc responderunt ceteri: „plu-
 „rimum lætamur, eo quod eouique
 „progrediamini, & tam aperte, ac sin-
 „cere agatis, atque Argentinensis Res-
 „publica, & huic adjunctæ civitates il-
 „li sese Doctrinæ jungant; propter
 „ea plurimas vobis agimus gratias,
 „idque renuntiaturi sumus Cæsari, ne-
 „que dubitamus, quin ipse hanc rem a-
 „vide sit auditurus: ad Theologorum
 „vero

„vero tractationem quod attinet, brevi Sæcul. XVI.
 „relaturi sumus, quæ sit Patrum in eo A. C. 1552.
 „sententia.

Interpositis aliquot diebus, cum illi reticerent, quod Episcopus Naumburgicus abiret, nec non reliqui etiam Germaniæ Præsules, duobus duntaxat exceptis, iter parare deberent, Deputati Montfortium Comitem adibant, quid demum Patres respondissent, percepturi: verum ille eorum votis satisfacere haud poterat; cum nullum adhuc responsum accepisset: porro cum ipsi Episcopum Naumburgicum pariter brevi discessurum dicerent, eis respondebat Comes, hunc duntaxat Oenipontum ad Cæsarem proficisci, eo quod quidam ex Saxoniam Deputatis, eo venturi essent, qui de pace cum Mauritio ineunda agerent.

§. LXIII.

Argentiniensis Legati discessus Pictavio Comiti propositus.

Die vigesima septima Martii idem Argentiniensium Deputatus cum Pictavio Comite conferens, eidem exponit, quod suarum rerum conditio, ut domum ipsi redeundum esset, ita peteret, ideoque, quid circa Theologorum disputationem Magistratui suo referre

Sleid. p. 859.
Thuan. l. 7.
pag. 293.

Hist. Eccles. Tom. XLI. A a ferre

Sec. XVI.
A.C. 1552.

ferre deberet, ante discessum suum sci-
re percuperet: Cum ergo Cæsaris Mi-
nistri circa Deputatorum discessum, eo-
rumque postulata diu, multumque de-
liberarent, tandem Pictavius respon-
dit: „commode fieri non potest, ut ad
„eam normam, prout desideratis, pro-
„cedatur, jam enim ad me delati sunt
„articuli de Missæ Sacrificio in proxi-
„ma Sessione definiendi, quo negotio
„penitus confecto, ad ceteros articulos
„procedetur: hoc tamen privatim tibi
„communico, quin id ceteri mei Socii
„præceperint. Verum ad hæc ita re-
„posuit Argentinensis Deputatus. „Cum
„Concilii Theologi rem a primis funda-
„mentis, & ordine discusserint, ac
„primo de creatione & lapsu hominis, de
„peccato, quod vocant, originis, de ju-
„stificatione, de fide, de operibus, ac
„demum de Sacramentis egerint: ita
„quoque Protestantibus eadem est con-
„cedenda libertas, eo quod Patres illo
„etiam die cautionem publicam dedil-
„sent ad exitum Januarii polliciti, fo-
„re, ut de rebus omnibus audirentur:
„in eo igitur manendum, nec inver-
„tenda est rerum natura; nisi enim recte
„superiora definiantur, de postremis,
„quæ pendent a primis illis, omnis dis-
„ceptatio inutilis erit. Cum autem
Cæsaris Ministri tam arroganti postula-
to

to annuere haud possent, Deputato re- Sæcul. XVI.
 spondebant, se eidem concedere non A.C. 1552.
 posse, ut discederet, eoquod Cæsar
 mandasset, ne quempiam abire permit-
 terent.

§. LXIV.

*Cæsaris Ministri Argentinensis De-
 putati discessum præpedientes.*

Tandem post crebras verborum con- Sleid. p. 860.
 tentiones ultro, citroque habitas
 Montfortius Comes inspectis mandati li-
 teris huic Deputato ab Argentinensi
 Magistratu datis respondit: „opto qui-
 „dem, ut diutius, si res tuæ ita permit-
 „terent, Tridenti morari posses, cum
 „vero tempori cedendum sit, nullate-
 „nus tuo discessui obluçtabor: quapropter
 Deputatus perbenigne dimittebatur:
 Altera autem die eundem Legati revo-
 cabant, hæc exponentes „etsi hesternæ
 „die inter nos actum esset de profectio-
 „ne, re tamen diligentius perpensa,
 „& communicatis consiliis, non possu-
 „mus facultatem tibi dare discedendi:
 „jam enim eo res est adducta, ut ela-
 „psi temporis fructus expectetur, & in-
 „stituatur actio: imo nisi tenuiori esset
 „valetudine legatus Pontificius, hoc
 „ipso die potuisset aliquid decerni: ro-
 „gamus igitur, ut adhuc aliquamdiu
 A a 2 „per-

Sæcul. XVI
A. C. 1552.

„permaneas : quod si in hoc temporis
„articulo discedis , merito offendentur
„Patres , qui menses nunc aliquot Tri-
„denti te fuisse sciunt: Cæsaris etiam hoc
„est mandatum , ne quis omnino rece-
„dat : si vero jussu Magistratus tui a-
„beas, fac nobis ejus rei fidem , exhi-
„bitis literis , quibus revocaris, ut apud
„Cæsarem nos excusare possimus.

Ad hæc Argentinensis reposuit:
„non equidem Argentinensis Senatus
„jussu abeo , sed potius ideo id fit, quia
„ita res meæ ferunt : si vero rationes
„meæ vobis non sat validæ videbuntur,
„non inde pedem movebo , ut tam jus-
„sis senatus mei meam præsentiam de-
„siderantis obsequar, quam etiam Cæ-
„sareorum Ministrorum , qui hoc ob-
„sequii genus a me deposcunt , volun-
„tatem adimpleam : ast diutius hic per-
„manere omnino prohibeor, quam pri-
„mum enim Theologi advenerunt, a-
„liunde præsentia mea nullius frugis
„est, cum nil aliud agendum restet,
„nisi ut eis in Synodo loquendi , atque
„disputandi facultas concedatur. Por-
„ro cum Caroli V. Oratores rursus infra-
„rationibus adhucdum permaneret, hic
„ad extremum denique medium confu-
„git, asserens, quod tam sibi, quam o-
„mnibus Confessionis Augustanæ sectato-
„ribus

ribus, vi cautionis præstitæ, quovis ^{Sæcul. XVI.}
 tempore abire liceret, eapropter & A. C. 1552.
 ipse in præsentis rerum articulo hac li-
 bertate uteretur.

§. LXV.

*Deputatus discedendi copiam extor-
 quens.*

Ad hæc Toletanus, quid ultra respon-
 deret, nil promptum habens De-
 putato hæc significabat: abire quidem
 tibi integrum est, nec etiam id prohi-
 bere possum: nihilominus, quid Cæsar
 mandarit tibi exponere, muneris mei
 erat, ne culpa dissolutæ Synodi, si for-
 te rite continuari ultra haud posset, in
 Imperatoris Ministros reiici valeat. His
 dictis Deputatus Legatis valere jussis
 Theologorum causam commendabat.

§. LXVI.

*Dissensio inter Patres circa Synodi
 continuationem.*

Eo tempore Synodi Patres plurimum ^{Sleid. l. 23.}
 inter se diffidebant; quippe Hispa- ^{p. 861. l. 24.}
 ni, Neapolitani, ac Siculi, quinimo ^{p. 873.}
 omnes Cæsaris imperio obnoxii sollici-
 tantibus Caroli Ministris urgebant, ut
 cæptis insisteretur, ac Synodus dein-
 ceeps continuaretur: illi vero, qui Se-
 dis

Sæcul. XVI. A. C. 1552. dis Apostolicæ commoda procurabant, cum Cæsareos Curia Romanæ emendationem moliri vererentur, nihil non agebant, ut Synodus interrumpetur, hinc illius continuationi impedimentum aliquod obiici gaudebant: cum igitur Germaniæ Prælati ob imminens belli periculum jamjam Tridento discessissent, Præsules natione Itali, ac Papæ subditi parem quoque occasionem præstolabantur, eoque magis, quod Galliarum Regem, nec non Germaniæ Foederatos adversus Cæsarem arma parare, constans fama persuaderet, ac jamjam publicæ literæ circumferrentur, quibus ad comprobendam novi hujus tumultus æquitatem obtendebatur, quod hoc bellum unice ad religionis defensionem, ac Germaniæ libertatem susciperetur. Insuper etiam Henricus II. diploma, quo se justis armis Cæsarem oppugnare ostendebat, in idiomate patrio typis edi curavit.

§. LXVII.

*Thu. l. 10.**Steid. l. 24.**pag 874.**Heres. hist.**de l' Empire**l. 2. p. 399.**Pallav. l. 13.**c. 3. n. 2.*

*Mauritii Saxoniae Electoris bellum
adversus Cæsarem.*

Tandem subdola Mauritii Saxonici Electoris consilia in apertas belli flammæ erumpebant, cum die prima Aprilis Augustanam urbem obsidione
pre-

premere inciperet, & quantumvis istud, Sæcul. XVI
A. C. 1552.
quo Cæsarem debellare decreverat, facinus, ac consilium esset temerarium, summa tamen solertia, ac circumspectione rem agebat, ne iisdem, in quos Joannes Fridericus ejus Patruus, ac Landgravius uxoris suæ Pater incidere-
rant, tumultibus, ac calamitatibus involveretur. Porro ob hanc taciturnitatem Mauritius non dum evoluto trimestri tam validas contraxerat copias, ut Carolum V. Priusquam is hostilia illius consilia animadverteret, non sine prospero armorum successu invadere potuerit.

§. LXVIII.

*Nomina Principum Mauritio fœdere
junctorum*

Ceterum Principes Protestantes, qui Sleid. l. c.
Mauritium exercitus Ducem salutabant, eique se fœdere jungebant, erant sequentes I. Joachimus Brandenburgicus Elector II. Joannes, & Albertus itidem Brandenburgici Marchiones, quorum primus Joachimi Patruus, alter vero frater erat III. Fridericus Rhœni Palatinus Comes IV. Wirtembergæ, ac Biponti Duces, V. Henricus, & Joannes Duces Megalopolitani VI. Ernestus Badensis Marchio præter plures alios Comites, Barones, urbesque.

A a 4

Hi .

Sæcul XVI. Hi omnes pecuniarum, ac militum sub-
 C.A. 1552. fidia tam prompte, quam copiose Mau-
 ritio præcipuo hujus fœderis Capiti sub-
 ministrabant, ut ad Mensis Martii exi-
 tum jamjam triginta bellatorum millium
 exercitum in aciem educere posset,
 quæ sane copiæ ad Cæsarem pene in-
 ermem bello invadendum abunde suffi-
 cere videbantur.

§. LXIX.

*Fœderatorum Principum literæ adver-
sus Cæsarem.*

*Thuan. l. 10.
 pag. 294.
 Steid. l. 24.
 p. 886. Et
 seq.*

Priusquam Mauritius rem aggredere-
 tur, ex potissimorum Principum
 fœderatorum consilio scriptum quod-
 dam evulgavit adversus Cæsarem, in
 quo hæc exponebat: „Sat manifestum
 „est, quod Cæsar Germaniæ liberta-
 „tem opprimere, ac despotico suo im-
 „perio subiicere molitur, suam vero
 „familiam non sine gravi Imperii Prin-
 „cipum, urbiumque præjudicium
 „ad supremam Monarchiam e-
 „vehere intendat, id quoque fat aperte
 „ostendit per captivitatem Philippi Haf-
 „siæ Landgravii contra datam fidem
 „detenti, necnon per obstinationem,
 „qua illum libertati reddere constanter
 „recusat. Equidem supremum ejusmo-
 „di imperium a nullo dependens affe-
 „ctat

„stat Imperator: verum ejusmodi con- Sæcul. XVI.
 „filiis Principes foedere juncti, atque A.C. 1552.
 „hisce literis subscripti sese opponere
 „decernunt, omnesque, qui pari cum
 „eis causa tanguntur, hortantur, qua-
 „tenus & ipsi suam indignationem ob
 „periculosæ hujus tyrannidis metum
 „hucusque sopitam palam exerere ve-
 „lint. Postea Mauritius rationes, ob
 „quas ipse, ceterique foederati arma in
 „Cæsarem paraverant, enarrans affir-
 „mat: Ob tres præcipue causas arma
 „sumpsi, & primo quidem pro tuenda
 „Protestantium Religione, quæ in Ger-
 „mania convellitur, ac labefactatur,
 „etsi enim (ita inquiebat Mauritius)
 „de plena eam profitendi libertate cau-
 „tum fuisset, nihilominus hæc proxi-
 „mo exposita est exitio, eoquod ejus
 „adversarii contra datam fidem ex ipsis
 „Religionis dissensionibus ad tyranni-
 „cum dominatum sibi viam sternant,
 „jamque ex liberis Imperii civitatibus
 „Ministros ejecerint, ac nequidem ex-
 „pectato legitimi Concilii exitu Augu-
 „stanam Confessionem passim abroga-
 „rint, & obtento rebellionis crimine
 „conscientiis vim intulerint. Altera
 „belli causa est, ut Principes, atque
 „Imperii Urbes libertati reddantur, eo-
 „quod se indies contra Imperii leges
 „extero milite in Germaniam inducto

Sæc. XVI. „oppressos cernant , atque ad emun-
 A C. 1552. „endas pecunias nova identidem com-
 „menta proponantur , ita quidem , ut
 „nullius Ordinis , imo nec ipsorum
 „quoque S. R. J. Electorum ratio ha-
 „beatur. Hanc ob rem omnes Princi-
 „pes , populosque rogo , ac obsecro,
 „ut pia mea consilia opibus suis adju-
 „vent , si vero secus fecerint , omnes,
 „qui sese opponent , tanquam hostes
 „meos habere cogor. Tertio denique
 „me ad suscipiendum hoc bellum in-
 „duxit Hassiæ Landgravii Soceri mei
 „captivitas ; hic enim insuperhabitis
 „potentissimorum Imperii Principum
 „solicitationibus quinto jam anno cap-
 „tivus detinetur , nec libertati restitui-
 „tur , & quamvis toties eum dimitten-
 „di spes facta fuerit , semper tamen sub
 „variis prætextibus mora , tempusque
 „trahitur , non sine magna honoris
 „mei , ac existimationis jactura.

§. LXX.

*Aliud Alberti Marchionis Brandebur-
gici Scriptum.*

Sleidan. l. c.
Thuan. ut
supra. Sub idem tempus Albertus Marchio
 Brandenburgicus aliud Scriptum lon-
 ge magis virulentum edidit , in quo de
 Cæsare , ejusque Ministris , necnon de
 improba Reipublicæ administratione
 que-

questus hæc exposuit : „libertas ab iis, Sæcul. XVI.
 „qui eam tueri, & amplificare debe- A.C. 1552.
 „rent, opprimitur : & consilium pau-
 „corum evertendæ veritatis causa ha-
 „betur, atque in Imperii Conventibus
 „per homines pollicitationibus, aliove
 „quovis subtili artificio corruptos in id
 „incumbitur, ut pecunia undique cor-
 „radatur, sicque paulatim Germaniæ
 „nervi incidantur ; porro id fraude Ec-
 „clesiasticorum præcipue fit, qui suffra-
 „giorum numero vincunt, quorum ni-
 „miam potentiam infringi, & debilita-
 „ri reipublicæ interest, imo res eo ad-
 „ducta est, ut ab unius arbitrio, &
 „nutu omnia pendeant: is vero erat Anto-
 „nius Perrenotus Attrebatum Episco-
 „pus, qui nec genere nobilis nec na-
 „tione Germanus est, nec adeo Impe-
 „rio fœderatus: Præterea Imperii Sigil-
 „lum in exteras manus devenit, jam-
 „que in aula Cæsaris necesse est Ger-
 „manis, alienas linguas discere, si qui-
 „dem ibi cum aliqua utilitate sua ver-
 „sari cupiant ; dein Judices suspecti in
 „Imperii Camera, novi Senatores per
 „Civitates, atque antiquis ejectis alii
 „Magistratus instituuntur, jugumque
 „tandem hoc germanis imponitur, ut
 „externum militem ferre cogantur, qui
 „nullum non genus insolentiæ, atque
 „inauditæ libidinis in populares exer-
 „cet.

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

„cet. Non obscura sunt mea in Cæsa-
rem merita, qui vitam, sanguinem &
„fortunas pro ejus dignitate, ac salute
„tam sæpe, tamque libenter profunde-
„re paratus fui, pro quibus adeo in-
„digne repensa est gratia: nam nuper
„prodiit liber de bello germanico ab im-
„pudenti Circulatore Ludovico Avila
„scriptus Cæsaris permissu, atque adeo
„privilegio Imperiali munitus, in quo
„de Germania tam frigide, & jejune,
„quasi de barbara, & obscura gente,
„mentio fit, ut appareat in nobilissimæ
„gentis opprobrium narrationem præci-
„pue institutam esse. His indignationi-
bus, quæ minime ferendæ sunt homi-
ni libero, & Principi viro, per motus,
consilia cum cæteris Principibus com-
municavi, & vires pro patriæ salute,
ac libertate junxi.

§. LXXI.

*Aliud Galliarum Regis scriptum ad-
versus Cæsarem.*

Hisce duobus Protestantium Scriptis
suum quoque adjecit Henricus II.
Galliarum Rex, qui pro sua etiam par-
te illud per universum Regnum promul-
gare festinabat. (*) In eo Rex cuncta,
quæ

(*) Christianissimus Rex hoc Scriptum
divulgare tenebatur, quia, ut inquit Thuanus
l. c.

Sæcul. XVI.
A C. 1552.

quæ Cæsarem ad turbendam Gallici Regni tranquillitatem machinatum fuisse obtendebat, corradens, ita proferebatur. *Ex quo post Charissimi Parentis mortem regni gubernaculis admotus sum, nihil aliud mihi curæ fuit, quam ut constituta religione publicæ tranquillitati consulere, & amicos, ac fœderatos principes, & populos omni ope sublevarem. eo consilio Scotos sub Regina pupilla tumultuantes, & licentiosa audacia ad rebellionem spectantes compressi, & pristinam Regno dignitatem restitui: cum Helvetiis fidissimis hujus regni amicis fœdus renovavi; ammissa prioribus bellis recuperavi, & Bononia ab Anglis recepta, exulantes cives ad lares suos, & colonos ad agros suos reduxi; arctissimo cum Rege Angliæ fœdere inito*

l. c. Protestantes Principes fœdus cum Galliarum Rege pro tuenda eorum Religione, ac Secta jecerunt: cum autem non modo Germaniæ libertas, sed etiam fidei dignitas, vel maxime a Protestantibus opprimeretur, hinc pro restituenda utriusque dignitate Carolus Imperator, fideique Catholicæ Defensor contra Protestantes gladium stringebat: constanter vero etiam cum summo proprii sui Imperii, ac Regni præjudicio omne cum fidei hostibus fœdus inire recusabat.

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

*inito armis quæsitâ firmavi, & factâ
pace possessiones cuique suas reddidi. Sed
ecce, dum in eo sum, ut regnum, &
pacem constituam, quo minus tam lau-
dabile propositum prosequi possim, undi-
que insidiis, & occultis machinationibus
petor; nec enim obscurum cuiquam esse
potest, quid Cæsar in hujus regni perni-
ciam molitus sit, postquam de tumulti-
bus Aquitanicis cognovit, misso, in
Angliam Comite Egmondano Burawo,
qui regis tutores ad arma contra me ca-
pessenda ex ea occasione incitaturus, pes-
simum exemplum in suum commodum
convertere, quantum in ipso fuit, &
voluit, & tentavit: ut vero illustri-
diciose male erga nos affectum proderet
Cæsar, Christiernæ Francisci Lotbarin-
giæ Ducis viduæ, ac ipsius Sororis Fi-
liæ auctor fuit, ut Barvensis Principa-
tus, qui sine controversia Gallicæ juris-
dictionis est, nomine fidem mihi, quam
debet, quamque Superiores Lotaringia
Duces hætenus præstiterunt, præstare
recusaret.*

*Necdum quoque oblitus sum, quam
indigne Vogelspergus vir nobili loco na-
tus, sed virtute nobilior, ab amico sum-
ma perfidia circumventus, & crudelissi-
mis tormentis subjectus, cum nihil ab eo
extorqueri potuisset, quod in invidiam
nostram recideret, a castrensibus postre-*

mo

mo iudicibus fuerit damnatus, cum non aliud crimini datur, quam quod nobis militasset. Id quomodo stante inter Casarem, & me pace fieri potuerit, aut debuerit, omnibus aestimandum relinquo qui citra odium, aut amorem de hac causa iudicaturi sunt, quid nunc Ringravium, Recrodum, Rifebergum, & Scbertelium commemorem, quos Casar proscripsit, & in quorum capita non aliam ob causam, quam quod mihi militarent, pretium percussoribus constituit, pessimo exemplo hominibus ad caedes ex insidiis faciendas invitatis; his de causis arma sumpsi, & conjunctis cum Germania Principibus consiliis, ac viribus justum & utrisque necessarium bellum suscepi, qua in re nullum aliud compendium, aut emolumentum spectare me Deum testor, quam ut restituta Germaniae dignitate, Saxonem Ducem, & Hassiae Landgravium diuturna & injusta captivitate detentos in libertatem asseram, ex necessitudine antiqua, quae Galliae regibus cum Germaniae Principibus intercedit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. LXXII.

Mauritius copiis in aciem educitis Augustam cingens.

Interea Mauritius ad Landgravii Filios
eis collocaturus contendit, datis-
que

Thu. hist.

l. 10.

Steid. l. 24.

p. 875.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

que quibusdam mandatis suis subditis præcepit, ut se absente interim Augusto fratri suo parerent, quam in rem eisdem quosdam Consiliarios probatæ fidei Viros adjungebat: demum vero ad illas copias, quas per Thuringiam sub hybernæ Stationis obtentu distribuerat, contendit, quo etiam Guilielmus Princeps ejus Socer ex condicto cum suo agmine venturus erat: igitur Mauritius (*) die decima nona Martii Erlebicum veniens inde ad Fraxineum Bationensem Episcopum literas dedit, sextoque post die junctis Guilielmi Principis copiis ambo Schwinfurtum venerunt, ac postea Rotenburgum transierunt, ubi Albertus Marchio Brandeburgicus se cum illis junxit, ac triduo post una omnes Donawerdæ, quæ urbs tribus ab Augusta leucis distat, convenere, simulque, quocunque iter faciebant, Senatores nuper a Cæsare institutos ab-

(*) Hujus itineris causam Thuanus l. c. explicat his verbis: *Mauritius etsi fœderis auctor, ita dissimulanter agebat omnia, ut cogitasse se ab Hassi captivi liberis videri vellet, neque omnino de conciliatione desperaret, hinc exposcitari se ab iis, nec posse diutius justas illorum petitiones frustrari. En solitam Protestantium sinceritatem!*

rogarunt, ingenti pecuniarum summa Sæcul. XVI. A.C. 1552.
 multæ nomine exacta: dum vero Augustæ Vindelicorum, cui urbi Cæsar duntaxat quatuor peditum centurias imposuerat, quamdam muri partem casu dejectam, fossamque ruina oppletam fuisse intellexerant Fœderati, illuc die ultima Martii cum copiis suis continuato itinere contendunt, ac postera die prima Aprilis circa meridiem Augustam pervenientes, cives ad validam urbis defensionem paratos invenerunt, quamvis enim annonæ, bellicique apparatus copia non nisi ad quindecim dies instructi essent, Cæsarem tamen prompto auxilio haud defuturum sperabant.

§. LXXIII.

Augusta Vindelicorum a Fœderatis obsessa, captaque.

Priusquam Fœderati urbem tota tormentorum vi quater inciperent, Chytr. Saxon. l. 17. Sied. l. c.
 cives ad ultroneam deditionem provocabant, oblatis conditionibus satisfaculis, quas autem cum præsidarii acceptare recusarent, obsidioni initium datur, ac quinto post die, cum cives resistendo impares essent, deditionis pacta conscribi postulant. Ergo quantocius a tormentorum explosione cessatur,

Hist. Eccles. Tom. XLI. B b fatur,

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

fatur, & feciales ab Augustanis submissi si audiuntur, eis que pacta admodum honorifica conceduntur, eoquod cives Augustani ejusdem Nationis essent, cujus oppugnantes erant.

§. LXXIV.

Fæderatorum molimina ad expugnandum Oenipontum.

Eo tempore Imperator Oeniponti gravibus podagræ doloribus laborans nonnisi familiares suos, ceterosque Proceres, quos officii sui ratio eo vocabat, secum habebat; percepta igitur tam subitæ conspirationes notitia vehementer perculsus tanto majori admiratione afficiebatur, quo minus clandestina ejusmodi consilia, priusquam in apertas erumperent flammæ, in se cudi sibi persuadere poterat, quamvis jam antea sæpius de conjuratorum machinationibus fuisset admonitus. Imo etiam tunc majores hostis progressus sistere a deo non erat sollicitus, ut vix de belli apparatu cogitaret, spe fretus, hanc conspirationem brevi dissipandam, aut saltem non eo usque progressuram, ut ejus quoque vitæ, ac securitati insidiæ struerentur. Verum sua eum spes fellit; quippe Mauritius rapido victoriarum cursu multa oppida victricibus

ar-

armis suis subegerat, captaque urbe Augustana Fœderati decrevere, sine ullo temporis dispendio promotis castris Oenipontum esse contendendum, eo quod ibidem Cæsar copiis destitutus abs dubio sese hostium arbitrio committere cogeretur. At tamen Mauritius cum Carolum, a quo tot beneficiis fuerat cumulatus, forte ad tantas angustias redigere abhorreret, vel fœderatorum ardorem admiratus eos verborum facetiis distingere percuperet, hæc eisdem reposuit. Vobis deest cavea satis ampla, in qua tam vastum hujus volucris corpus includere possitis: mox tamen ad hæc respondit Albertus: insequamur nihilominus avem istam, quæ si capta fuerit, facile de cavea, cui includetur, prospici poterit: cum ergo Mauritius eorum aviditatem magis augeri cerneret, illisque suspicionem, ne forte ipse perversa foveret consilia, ingeri vereretur, inconsiderato, quo fervebant, furori cedendum existimabat, quapropter rupta omni mora exercitus Alpes superat, viarum aditus invaduntur, tantaque rabie in milites, qui eos obsidebant, irruitur, ut trucidatis Cæsareorum potissimis plana ad Cæsarem via pateret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

§. LXXV.

*Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 13. c. 3. n.
1. & 2.*

Tridentinorum Patrum timor ad hostis appropinquantis rumorem.

Cum Fœderati a Tridentina urbe parum distarent, mox Itali Præsules accepto nuntio, quod Lutheranorum exercitus jamjam viarum aditus perfregisset, ingenti afficiebantur timore, unde trajecto Abdua flumine Veronam contendere parabant, discedentibus quoque cunctis Protestantium Oratoribus: cum autem Legati morbus indies augetur, Nuntii, ne soli tandem Tridenti persistere cogerentur, veriti, datis ad Papam literis, quid Consilii infunesta hac rerum vicissitudine caperent, sibi significari rogabant. Ad hæc Julius, qui pace cum Franciæ Rege inita, minus Cæsaris indignationem pertimescebat, convocato Purpuratorum Senatu Nuntiorum postulata exposuit. cum ergo potior Patrum pars Synodum esse interrumpendam censeret, mox hanc in rem diploma conficiebatur ad Papæ Nuntios transmittendum: insuper ipse summus Pontifex ad eosdem hunc in modum perscripsit: „si Synodum interrumpi, vestro judicio utgens deposcit necessitas, id exequi magis expedit, quam Synodi dignitatem hæreticorum insultibus exponere.

„nere, præcipue cum facile Concilium
 „tempore magis tranquillo rursus con-
 „tinuari valeat; ea tamen mea est vo-
 „luntas, ut Synodum nequaquam pe-
 „nitus solvatis, sed duntaxat ad tempus
 „prorogetis, ut semper, prout tempo-
 „ris opportunitas tulerit, Synodi pro-
 „sequendæ remedium in promptu sit.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1552.

§. LXXVI.

*Pontificium interrumpendi Concilii di-
 ploma ad Nuntios delatum.*

Accepto hoc responso Nuntii Apostoli-
 ci rem silentio prorsus religioso pre-
 mebant: ut vero cujusvis mentem cir-
 ca Synodi interruptionem magis explo-
 ratam haberent, præprimis Caroli V.
 Cæsaris Legatos, necnon præcipuos
 ex illis, qui adhuc remanserant, Præ-
 fules in Concilium vocabant, ut ab eis,
 quid denique statuendum, perciperent.
 Cunctorum opinio eo abibat, Cæsaris
 jussa esse expectanda, cum nihil a Pro-
 testantium exercitu foret timendum,
 atque illi longius, quam spargebatur,
 ab urbe distarent. Insuper Nuntii,
 cum nonnisi Episcopali dignitate fulge-
 rent, Papæ jussa statim exequi reformi-
 dabant, hinc datis Romam literis Pon-
 tificem monebant, his verbis usi: per-
 molesta Patribus futura fuisset suspensio

*Pallav. l. c.
 Spond. hoc
 ann. n. 4.*

Sæcul. XVI. Pontificio diplomate indicta absque ul-
A. C. 1552. la auctoritate, ac voluntate Concilii,
 ac proinde satius duximus memoratum
 Diploma non depromere, sed curare,
 ut ipsa Synodus id consilii per se susci-
 peret. At Pontifex nihil amplius curan-
 dum rescripsit, & a se minas hujus-
 modi plane despici edixit.

Ut autem Pighinum ex Nuntiis alte-
 rum ad exequenda mandata stimulet,
 eidem significari jussit, quod ipse, quam-
 primum in Concilio Præsidis munere
 defunctus esset, in Sacro Purpurato-
 rum Collegio sedem adepturus foret,
 eoquod jam in postrema Cardinalium e-
 lectione ad purpuram nominatus fuisset.
 Attamen hæc altera Pontificis epistola
 nonnisi post interruptam Synodum ad-
 venerat.

§. LXXVII.

*Sessio decima sexta pro Concilii inter-
 ruptione habita.*

Labbe Conc. Cum autem Synodi Patres periculum
tom. 14. p. indies augeri, ac singulos suæ se-
835. curitati unice intentos cernerent, die
Pallav. n. 4. vigesima quarta Aprilis generalem ce-
Thu. l. 9. lebrarunt congregationem, in qua Car-
Spond. n. 4. dinalis Tridentinus Brixia redux, nec-
Psal. in non Zagabriensis Episcopus, ac præter
actis. Conc. alios Granatensis Archipræsul Syno-
Trid. p. 324. dum

dum omnino interrumpendam esse cen-
 febant. Hanc ob rem Pontificis Nun-
 tii ad diem vigesimam octavam ejus-
 dem Mensis proximam Sessionem cele-
 brare decreverunt, cum antea ad diem
 primam Maii fuisset indicta: igitur hæc
 decima sexta Synodi Sessio, quæ sub
 Julii III. Papæ Pontificatu sexta, ac
 postrema erat, ab exiguo Patrum ad-
 huc residuorum numero celebrabatur:
 ubi pro more omnes in Ecclesia S. Vi-
 giliæ congregati sunt, ac re divina per
 Michaelem a Turre Cenetensem in Vene-
 tione Episcopum peracta Pighinus
 Papæ Nuntius unacum Socio suo lo-
 co Crescentii Cardinalis Legati tum
 ægotantis Præsidentem agebat, Episco-
 pus vero, qui Sacrum celebrabat, con-
 scenso suggestu sequens, quo Concilium
 prorogabatur, decretum prælegit.

*Sacrosancta Oecumenica, & Gene-
 ralis Tridentina Synodus, in spiritu
 Sancto legitime congregata, præsidenti-
 bus in ea Reverendissimis Dominis Seba-
 stiano Archiepiscopo Sipontino, Aloysio
 Episcopo Veronensi, Apostolicis Nun-
 tiis, tam eorum proprio, quam Reve-
 rendissimi, & Illustrissimi Domini Mar-
 celli Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis
 Crescentii, Legati, ob adversam ejus
 gravissimam valetudinem absentis, no-
 mine,*

B b 4

mine,

Sæcul. XVI.

A C. 1552.

Sæcul. XVI. mine, non dubitat, Christianis omnibus
A C. 1552. pateve hoc Concilium Oecumenicum Tri-
 dentinum primo a Paulo felicitis recorda-
 tionis convocatum, & collectum fuisse;
 deinde a Sanctissimo Domino nostro Ju-
 lio tertio, efflagitante Cavolo quinto
 Augustissimo Imperatore, ea præcipue
 de causa fuisse restitutum, ut Religio-
 nem in multis orbis partibus, & præ-
 sertim in Germania, in diversas opinio-
 nes miserabiliter distractam, in statum
 pristinum revocaret, abusus, & mores
 Christianorum corruptissimos emendaret,
 cumque ad hoc agendum quamplurimi Pa-
 tres, nulla laborum suorum, periculo-
 rumque habita ratione, e diversis regio-
 nibus alacriter confluxissent, resque stre-
 nue magno fidelium concursu, feliciter-
 que procederet, ac spes esset non levis, il-
 los Germanos, qui eas novitates excita-
 rant, in Concilium venturos sic animo-
 tos, ut veris Ecclesiæ rationibus unani-
 miter acquiescerent, lux denique quædam
 rebus affulsisse videretur, caputque at-
 tollere inciperet prostrigata antea, & af-
 flicta respublica Christiana: ii repenti-
 tumultus, ea bella, hostis generis huma-
 ni versutia exarserunt, ut Concilium
 velut hæere, ac suum cursum interrump-
 pere satis incommode cogeretur, spesque
 omnis ulterioris progressus hoc in tempo-
 ri

re tolleretur : tantumque aberat , ut Sæcul. XVI.
Sancta Synodus Christianorum malis , A.C. 1552.
& incommodis mederetur , ut multorum
mentes præter sui animi sententiam irri-
taret potius , quam placaret : cum igi-
tur ipsa sancta Synodus omnia , & præ-
cipue Germaniam , armis ardere , &
discordiis videret , omnesque fere Epif-
copos germanos , præsertim Principes E-
lectores , suis consultum Ecclesiis e Con-
cilio abiisse ; decrevit tantæ necessitati
non reluctari , & ad meliora tempora
reticere , ut Patres , quod eis nunc age-
re non licet , suis avibus prospectum ad
suas Ecclesiis regredi valerent , ne diu-
tius utrobique inutili otio conterantur ,
atque ita , quoniam sic temporum condi-
tio tulit , hujus Oecumenici Concilii
Tridentini progressum , per biennium
suspendendum fore decernit , prout præ-
senti decreto suspendit , ea tamen lege , ut
si citius pacata res sit , ac tranquillitas
pristina revertatur , quod sperat Dei
Optimi Maximi beneficio non longo for-
san spatio futurum , ipsius Concilii pro-
gressus eodemmet tempore suam vim ,
firmitatem , vigoremque habere censea-
tur : Sin autem (quod Deus avertat)
peracto biennio prædicta legitima impedi-
menta non fuerint submota , cum pri-
mum cessaverint , talis suspensio eo ipsa
sub-

Sæcul. XVI. A.C. 1552. *sublata esse intelligatur, ac suus vigor, & robur Concilio sit restitutum, & esse intelligatur, sine alia nova Concilii con-
vocatione, accedente ad hoc decretum consensu, & Auctoritate Sanctitatis suæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, interea tamen eadem Sancta Synodus exhortatur omnes Principes Christianos, & omnes Prælatos, ut observent, & respective, quatenus ad eos spectat, observari faciant in suis regnis, Dominiis, & Ecclesiis, omnia, & singula, quæ per hoc Sacrum Oecumenicum Concilium fuerunt hæcenus statuta, & decreta.*

§. LXXVIII.

*Duodecim Præsules Hispani huic pro-
rogationi obluſtantes, ac contra
eam reclamantes.*

Nicol. Psal. l. c. *Pall. l. c.* **P**erlecto hoc Decreto Episcopus dicebat: *Reverendissimi, ac Illustrissimi Domini, Reverendique Patres, placentne hæc omnia vobis?* Ad hæc cuncti respondebant, *Placet*, exceptis duodecim, qui erant, Salvator Alepus Archiepiscopus Turritanus, Joannes Salazarius Episcopus Lancianensis, Alvarus a Quadra Episcopus Venusinus, Petrus Acugna Avellaneda Episcopus Asturicensis, Joannes Fonseca Episcopus Stabienſis

bientis, Franciscus Navarra Episcopus
 Pacensis, Michael Puchius Episcopus
 Elvensis, Joannes Æmilianus Episcopus
 Tundensis, Martinus Ayala Episcopus
 Gadinensis, Alvarus Moscosus
 Episcopus Pampilonensis, & Petrus
 Poaz Episcopus Civitatenfis.

Sæcul. XVI.

A C. 1552.

Hi omnes exponebant, quod periculum ipso rumore longe minus esset, & quamvis jam ante quinquennium Protestantes Clausam arcem expugnassent, atque universa Tyrolis non nisi a Francisco Castel-Alto fuisset propugnata, propterea tamen Concilium non fuerit interruptum, hinc etiam nunc, ut olim factum, timidi duntaxat dimittantur, cum Cæsar adhucdum Oeniponti agens suis viribus, ac potentia facile cunctos hosce tumultus dissipare valeat; ceteri ergo, qui voluerunt, libere remanere permittantur, donec certior habeatur notitia de mente Cæsaris, qui, cum non nisi trium dierum itinere Tridento distet, prompte responsum dare poterit. Nihilominus Episcopi natione Itali Synodum esse interrumpendam unanimi suffragio concludebant, idque adeo necessarium demonstrare nitebantur, ut absque vitæ, bonorumque dispendio ejusmodi consilium recusari haud valeat. Verum illæ, quas attulerant, rationes nondum præfatos duodecim Prælatos

tos

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

tos a sententia dimovebant: cum tamen Synodi prorogationem impedire desperarent, saltem adversus eam scripto reclamare decreverunt, nec tamen hæc eorum oppositio efficere valuit, quominus ceteri omnes Tridento abire statuerent, quinimo ipsimet duodecim illi Præsules, eoquod hoc periculum re ipsa gravissimum esset, prout ipsimet brevi experiebantur, reliquorum exemplum sequebantur: solus vero Cardinalis Tridentinus Oenipontum secedere decreverat, ut Cæsarem pro viribus suis in præsentis rerum vicissitudine adjuvaret.

§. LXXIX.

Papæ Legatus ob adversam valetudinem Tridenti hæerere coactus.

Sleid. l. 23.
p. 865.

Thuan. hist.

l. 9. p. 293.

Pall. l. 12.

c. 3. n. 1. & 9.

Crescentius Papæ Legatus ob morbi sui vehementiam solus Tridenti hæerere cogebatur, cum haud amplius aliorum transferri posset: dum vero huius infirmitatis periculum magis augeri haud timebatur, Veronam transferebatur, ubi tamen hoc anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo die prima Junii naturæ debitum solvit.

§. LXXX.

§. LXXX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.*Legatus Veronam delatus, ibidem-
que vita functus.*

Postmodum Corpus ejus Romam delatum ibidem primo in Ecclesia omnium SS. Martyrum, dein autem in Templo S. Mariæ Majoris depositum fuit, ubi etiam terræ mandatum quiescit. Is erat patria Romanus ex illustrissima, ac pervetusta Crescentiorum familia natus, qui a teneris unguiculis jamjam tum Canonice, tum Civili jurisprudentiæ strenue operam navabat, suorumque meritorum suffragio Canonicus in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris renunciatus, Rotæ Auditoribus adnumerabatur: postea vero a Clemente VII. Marsicanus Antistes in Neapolis Regno electus, a Paulo III. Anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo quadragesimo secundo purpura decoratus est. Nominabatur insuper Ordinis Cisterciensis Protector, ac perpetuus Bononiæ Legatus.

*Pallav. ibid.
Ciacon. tom.
3. p. 677.*

Sub idem tempus pariter Tridenti obiit Viennensis Episcopus ex Romanorum Regis Oratoribus unus, cujus corpus interea in Ecclesia Cathedrali repositum fuit, donec Viennam transferretur. (*)

§. LXXXI.

(*) Vide infra §. 146. ubi agitur de obitu Friderici Naufæ.

Sæcul XVI.
A.C. 1552.

§. LXXXI.

Ferdinandus Romanorum Rex Mauritium Electorem accedens.

*Steid. p. 276.
l. 24.*

Interea Mauritius, ejusque Socii copias suas semper propius Oenipontanæ urbi admovebant, atque Ulma per sex dies incassum obsessa, die decima nona Aprilis Stuaicum versus promotis castris processerunt, ubi juxta pacta à Galliarum Rege militare trium mensium stipendium perceperunt, eisque, cum Henricus Lenoncurtius Nantolietus in itinere fatis fuisset functus, obseques dabatur Joannes de Marchia Gamæus: vicissim vero foederatorum Principum obsides, quos Franciæ Regi dabant, erant Christophorus Megalopolitanus Dux, & Philippus Hassiæ Princeps. Post hæc ultima Aprilis die aliquot infra Ulmam miliaribus ad Danubii ripam castra metabantur, relicto interea Alberto Brandenburgico, qui vicinos, & oppida igne, ac ferro devastans, ubique pecunias corradabat, arcemque Helfestænâ in deditioem accipiens, ex Gislinga oppido, quod tribus nonnisi miliaribus Ulma distat, aliisque vicinis pagis octodecim aureorum millia mulctæ nomine extorquebat. Subactis hisce urbibus Mauritius Elector Danubio

nubio vectus Lincium Austriæ urbem Sæcul. XVI.
A.C. 1552.
 contendit cum Romanorum Rege collo-
 cuturus, quem Cæsar eo decreverat, ut
 Electorem ab hostili hac invasione aver-
 teret, atque ad acceptandas pacis con-
 ditiones inclinaret; quinimo ipsemet
 Imperator datis ad Principes literis eos
 hortabatur, ut hæc dissidia tolli, &
 novas hæc scintillas, priusquam in
 apertas erumperent flammæ, extingui
 totis viribus adlaborarent. Equidem
 Mauritius condiciones a Ferdinando
 propositas excepit, mox tamen alias
 eidem proposuit, petiitque, ut Land-
 gravius libertati redderetur, Religionis,
 ac doctrinæ dissidia componerentur, de
 Republica rite constituenda ageretur,
 ac denique proscriptis Nobilibus in gra-
 tiam receptis pax cum Galliarum Rege
 hujus foederis socio iniretur.

§. LXXXII.

*Responsum ad hæc propositiones
 Mauritio datum.*

Eodem tempore, quo Mauritius Ele- Sleid. l. 6.
Thu. l. 10.
n. 3.
 ctor hæc condiciones proposuerat,
 Ferdinandus præsentibus habebat Maxi-
 milianum Archiducem Filium suum,
 Albertum Bavaricæ Ducem suum Gene-
 rum, necnon Caroli V. Legatos. Hi
 ergo Mauritio ista in responsis dabant:

11072

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.

non equidem recusat Cæsar, quominus Hassiæ Landgravius libertati reddatur, dummodo ab armis discedatur, quinimo Cæsari præprimis placet, ut proximis Germaniæ conventibus de religione, ac republica constituenda agatur, hoc tamen male accipit Cæsar, quod Regis Galliæ, cum tamen adversus Cæsarem bellum gerat, tanquam amici, ac fœderati mentio injecta sit, nihilominus permittit Cæsar, ut ex illo cognosci possit, quibus conditionibus pacisci velit: ceterum quod ad proscriptos attinet, poterunt ii in gratiam recipi, dummodo legi, quam Cæsar tulerit, obtemperaturos se promittant. Præterea petebat Ferdinandus, ut facta pace Mauritius operam ipsi contra Turcas in Pannonia navaret, & curaret, ne conducti a Sociis milites ad Galliæ Regem dilaberentur. Ad hæc Mauritius respondit: non licet mihi quicquam inconsultis Sociis statuere: his dictis utrinque discessum est, dilata in vigesimam sextam Maii Sessione, qua die Cæsaris æque, ac Fœderatorum Oratores Passavii convenirent, atque huic conventui per se ipsos interessent: ab hoc autem tempore quindecim dierum induciæ inciperent. Attamen de sincera Mauritii Electoris mente valde dubitabatur, nec temere suspicari licebat, quod vanis ejusmodi promissis Cæsarem

farem eo fine distingere intenderit, util-
 lum nil fraudis suspicantem eo facilius
 inopina vi obruere posset: interim ut
 ut res se habuerit, id omnino comper-
 tum habetur, quod Ferdinando post
 hoc colloquium vix ad sua reverso, mox
 Fœderati Alpes petierint, ac Cæsareis
 copiis Rutæ profligatis Crebergensi arci
 militem admoverint, eamque captis
 tribus præfidiariorum millibus occupa-
 rint, demumque Oenipontum versus
 castra promoverint.

Sæcul XVI.
 A. C. 1552.

§. LXXXIII.

*Cæsar Oenipontum confugiens, ibi-
 demque acriter obsessus.*

Cum autem tum Cæsar in urbe minus
 munita hæreret, ac nonnisi cen-
 tum circiter præfidiariis, ac satelliti-
 bus stipatus esset, hinc securitati suæ
 prospecturus prompte aliorum secedere
 consultum ducebat: Ergo media ferme
 nocte tam præcipiti studio fugam arripit,
 ut baltheo absque gladio succinctus,
 cum ob podagræ dolores equum con-
 scendere haud posset, lectica delatus
 iter prosequeretur, donec tandem Vil-
 lacum, quod est oppidum in Carinthia
 ad Dravum flumen situm, ac Bamber-
 gensis Episcopi imperio obnoxium, per-
 Hist. Eccles. Tom. XLI. C c veni-

*Ant. de Vera
 vie de Charl.
 V. p. 227.
 Sleid. 83
 Thu. l. c.*

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

veniret, ubi nemine ad alloquium ad-
missa aliquot dies delitescerebat.

§. LXXXIV.

*Joannes Fridericus Elector liber
dimissus.*

*Sleid. l. c.
Thu. l. 10. p.
308.*

Eo tempore (*) Cæsar Joannem Fri-
dericum pristinum Saxonie Electro-
rem libertate donavit, eidem signifi-
cans,

(*) Subdole Continuator refert, quod
Carolus eo tempore, quo jamjam in fugæ suæ
loco substiterat, Joannem Electorem libertati
restituerit, cum tamen Sleidanus æque, ac
Thuanus tanquam rem certam narrent, quod
Cæsar, antequam Oeniponto profugeret, Joan-
nem Fridericum Saxonem liberaverit, præcepta
hæc hosti gloria, quod existimationis suæ inter-
esse arbitraretur, ne coactus potius, quam sponte,
captivum dimisisse videretur: contra Saxo-
ni Sociis, quam Cæsari, beneficium acceptum
referre mallet, gratiam recusabat, & quamvis
liber factus, Cæsarem quocunque ibat, ut antea
comitabatur.

Ita rem narrat Thuanus Scriptor Gallus
Austriacæ Domus gloriam imminuere admo-
dum studiosus: Sleidanus vero l. c. hæc refert:
cum Saxonie Ducem Joannem Fridericum toto
jam quinquennio captivum, paulo ante dimississet,
ne videlicet hostis ad suam gloriam istud re-
ferret

Sæcul XVI.
A.C. 1552.

cans, quod libere abire posset, quocunque demum vellet, dummodo Cæsaris hostibus sese non associet: cum autem Elector tam senio, quam corporis pinguedine gravis, ac infirma valetudine pressus esset, in lectica Cæsarem comitabatur, atque ab illo temporis articulo ab eodem non jam tanquam captivus Princeps, sed veluti liber, atque amicus habebatur. Referunt nonnulli, quod Cæsar, cum per Passavinsensem pacem proxime sancendam ad libertatem huic Electori concedendam, se coactum iri præsentiret, hanc gratiam ex proprio voluntatis suæ impulsu permotus, non autem vi compulsus eisdem præstitisse, videri voluerit, indeque Mauritio timorem incutere speraverit, cum æmulum suum ad eum statum revocatum cerneret, ut cum eo de Saxo-

C c 2 nici

ferret, quod quidem ipse captivus etiam minime volebat, liber factus, nihilominus Cæsarem, quocunque iret, comitatur.

Ex his prudens Lector facile colligere poterit, quam artificiose Continuatorescriptorum, quos allegat, verba immutare, alia addere, vel demere soleat, eo fine, ut livorem suum quem præcipue in Augustissimam Domum Austriacam prodit, aliorum testimonio honestare valeat.

Sæcul. XVI.
A C. 1552.
nici Electoratus imperio contendere
posset. Ceterum Imperatorem tum fu-
gientem comitabantur Ferdinandus Rex
ejus Frater, Cardinalis Tridentinus,
cunctaque ejus familia, ac Proceres,
qui eum sequentes tanto terrore percel-
lebantur, ut eorum plures pedibus in-
cedere cogentur, ne Principem suum
derelinquerent.

§. LXXXV.

*Venetorum respublica Cæsari sua of-
ferens obsequia.*

Veral. c. p.
272.

Verum Caroli timor tum vel maxime
augebatur, cum Venetorum rem-
publicam arma parare perciperet; nam
hi, cum belli flammæ undique erum-
pere cernerent, malisque inde forte
imminentibus præcavere cuperent, mi-
lites conscribebant. Ea res Cæsarem,
qui tum Villaci agebat, haud parum
sollicitum tenebat; verebatur enim, ne
Veneti clandestina cum hostibus consi-
lia foverent, quinimo hæc eadem su-
spicio eo ex capite vehementius inva-
lescebat, quod non ita pridem variis
ex locis nunciatum esset, a Franciæ
Legato Venetos ad arma in Cæsarem
movenda vehementer sollicitatos, eis-
que amplissima facta fuisse promissa,
dummodo cum Galliæ Rege ipsius Prin-
cipe,

cipe, ac cum Protestantibus suas vires jungere, Cæsaremque bello opprimere vellent. Attamen Respublica vix non Carolum Cæsarem Villacum adventasse compererat, cum illico Dominicum Morosinum, qui apud Cæsarem legatione fungebatur, ablegaret, dato negotio, ut Imperatori urbem, quamcunque intra Reipublicæ fines pro suo receptaculo possidere vellet, offerret, eisdemque fidem faceret, quod respublica omnes suas vires, conatusque ad tuendam Majestatem suam impendere, ejusque gloriam non minus, quam propriam toto studio propugnare parata esset. Hoc obsequii genus Cæsar non sine animi sui lætitia excepit, eodemque momento Nobilem Virum ablegavit, qui huic Reipublicæ grates rependeret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. LXXXVI.

Mauritius Elector Oenipontum ingressus.

Altera post Caroli discessum die Mauritius Elector Oenipontum ingressus duntaxat Ferdinandi Romanorum Regis, quem velut amicum habebat, suppellectilem intactam reliquit, cetera vero omnia, ad Cæsarem, ejusque Aulicos, necnon ad Augustanum Cardinalem, quem Fœderati summo odio

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

infectabantur, pertinentia militum suorum deprædationi permisit. Insuper civibus injuriam quovis pacto inferri, vel eorum bona diripi severe prohibebat; quippe ab aliis credi gestiebat, quod nullatenus divitias corradendi studio, sed unice oppressos sublevandi desiderio incitatus arma sumpsisset. Ceterum Imperator in tuto positus eo unice curas intendit, ut summa, qua posset, celeritate circa Alpes copias suas contraheret, ac non modo hostium suorum progressibus valide sese opponere, sed etiam Catholicorum partes strenue defendere valeret, quamdiu Passaviensis conventus ad vigesimam sextam Maii diem indictus perduraret.

§. LXXXVII.

Franciæ Rex bellum adversus Cæsarem exorsus.

Cum interea Foederati Protestantes in Germania tanto furore Cæsarem debellarent, Galliarum Rex, ut foederi cum eis inito satisfaceret, bellum quoque contra eundem movebat, atque unacum uxore sua Regina, ceteroque aulico comitatu Catalaunum usque contendebat, dum interim Montmorantius Vitriacum processerat, quo loco copiae undique confluebant. Recensebat Rex
in

in exercitu suo quindecim Germanorum ^{Sæcul. XVI.} millia, quadringentos cataphractos, ^{A.C. 1552.} duo equitum millia præter totidem Sclometarios equis instructos, quibus Carolus Lotharingius Albamariæ Dux, ac Guisii Ducis Frater præerat. Hoc exercitu instructus Montmorantius Connestabilis recta Tullum contendit, eumque mox cives traditis clavibus in urbem recepere: Rex vero Jonvillæ substitit ob inopinatum Reginæ morbum. Sub idem tempus Christina Francisci Lotharingiæ Ducis Vidua, ac Cæsaris Neptis Henricum Regem adibat, ut filii sui ditiones ab hostium incurſibus liberaret. Hanc Rex perbenigne excepit, eidemque mentem suam aperuit, propositis duobus articulis, quibus tamen Ducis fa haud parum turbabatur; Rex enim hæc petebat I. Juvenem Ducem filium suum in Gallias mittere haud cunctaretur, ut ibi unacum Delphino educaretur, spe facta, quod Rex illius curam in se suscipere, eumque honorificis omnino dignitatibus augere velit. Secundo Lotharingici Ducatus administrationi nuntium mittat, illamque Valdemontio Comiti cedat, eo quod eidem, cum Cæsaris Neptis esset, in præſenti rerum vicissitudine haud amplius hoc munus committi posset.

Sæcul. XVI.

§. LXXXVIII.

A.C. 1552.

Metis, Tullum, Virodunum, & Nancejum &c. a Rege occupata.

Beltcar. com.
l 26. 2. &
seq.

Interea Montmorantius Connestabilis Gorzense Cænobium, arcem naturamunitam, ac non nisi quinque milliaribus a Ponte Mussitano distitam occupabat, inde vero Metim versus contendit, dispositisque circa urbem copiis, cives, ut adventanti portas aperirent, jubet. Non deerant, qui se ultro dedere renuebant, ex plebe tamen præcipui per Lenoncurtium Cardinalem urbis Episcopum promissis capti palam Gallicis favebant: itaque ad deditiois necessitatem res pervenit, ac Connestabilis die decima Aprilis urbem ingressus est (*) Interim Regina tandem recuperata

(*) Quod Galli deditiois pacta, datamque fidem violaverint, studiose reticet Continuator, ingenue tamen Thuanus Scriptor Gallicus rem ita recenset: *Cives vim deprecati Montmorantium cum duobus signis peditum admissuros se respondent: sed FRAUS CONVENTIONI FACTA EST, nam duo signa, quæ non plus, quam sexcentos homines capere debebant, aucto numero mille quingentos circiter pedites, eosque ex omnibus delectos efficiebant.*

Cum

perata salute in Franciam rediit, Rex ^{Sæcul. XVI.}
 vero, ut se absente regnum admini- ^{A.C.1552.}
 straret, eidem curam imposuit, eique
 primum Ministrum attribuit Annebal-
 dum Gallicæ classis Præfectum, qui ei-
 dem in Franciæ regimine pro viribus
 præsto esset. Tertio demum post cap-
 tam Metim die Rex Tullum ingressus,
 Sclavolium urbis Præfectum nomina-
 bat, civibus tamen eorum jura, privi-
 legia, atque immunitates omnino illæ-
 sas servabat. Altera die Nanceum de-
 latus juniorem Lotharingiæ Ducem ac-
 cessit eo fine, ut illum postea in Fran-
 ciam abstrahi juberet (*) Denique Rex
 Pontem - Mussitanum profectus, inde
 Metim pervenit, ubi rursus urbis pri-
 vilegia confirmavit, ac post tridui mo-
 ram Arturum Cossæum Gonnorium
 C c 5 Brissaci

*Cum autem Cives longiorem militum seriem,
 quam sperarent, subsequi fremerent, sero erro-
 rem portis occlusis emendare conati, a Gallis
 jam potentioribus repelluntur.*

(*) Thuanus l. 10. quem Continuator qui-
 dem ferme totum descripsit, subdole tamen
 allegare dissimulavit, hæc addit: *non sine ma-
 nifesto Parentis dolore, quæ Filium a suo com-
 plexu divelli, & in Principis cum Cæsare Avun-
 culo bellum gerentis potestatem abduci ægre fere-
 bat.*

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

Briffaci Marescalli fratrem urbis Præfatum nominabat, ipse vero inde abiens Lunevillam contendit, ubi Franciscum Montmorantium Connestabilis Filium, Honoratum Villarium, & Ringravium Comitem Augustam Vindelicorum ablegabat, ut de rebus Mauritii Electoris, qui jamjam bellum inchoasse dicebatur, certior fieret. Ceterum Metensi æque, ac Tullanæ, & Virodunensi urbibus usque ad hunc annum pristinæ ejus libertates integræ servabantur, hæc tamen civitates ad hanc usque diem Franciæ imperio obnoxixæ permanent. Insuper Rex occupata Metensi urbe ibidem pro illius conservatione arcem construi jussit, quamvis aliunde hæc civitas arte, & natura sat munita fuisset.

§. LXXXIX.

Regis molimina de subigenda Alsatia.

*Sleid. lib. 24.
pag. 788.
Thu. l. 10.*

Henricus Rex ad ampliores spes animi erigens totam Alsatiam armis suis subiicere decreverat, unde copias suas eo conducens interim exhaustas vires reficere simulabat, tertia vero Mensis Maii die venit Tabernas, quod oppidum est Argentinensi Episcopo subditum non nisi quatuor milliaribus ab urbe distans. Ibidem Regem adibant Basileensis Senatus Legati, qui contra superioris Bur-

Burgundiæ incolas, eorumque foederatos hujus Principis opem implorabant, ab eodem perbenigne excepti. Postea Rex, cum adhuc Sareburgi esset, ab Argentinensibus petierat, ut annonam alendis copiis necessariam in castra deferrent: verum cives, cum Gallorum fidem sibi suspectam haberent, urbem quinque armatorum millium præsidio firmabant, cunctaque tam publica, quam privata ædificia, quæ urbi magis erant vicina, demoliebantur, excissisque arboribus hortos devastabant, ac novum propugnaculum, qua parte urbs minus munita videbatur, extruentes copiosam admodum annonam invehebant, postea vero Petrum Sturmium, Fridericum Gotteschium, & Joannem Sleidanum ablegabant, qui quandam frumenti, ac vini copiam Regi offerrent, cum autem Connestabilis hæc nihili æstimaret, amplis verbis Deputatos de præclara Regis erga ipsos voluntate lætabat, ac pluribus extollens, quod ipse pro tuenda Nationis Germanicæ libertate adeo generose arma sumpsisset, tandem ab eis petiit, ut militibus Gallis ad coemenda ipsis necessaria urbem ingredi permitterent. Deputati ea, quæ postulabantur, ad Senatum referunt, qui vicinæ urbis fato perterritus respondit, nihil in hoc negotio, nisi de totius Reipublicæ

Sæcul XVI.
A.C. 1552.

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.

publicæ consilio, ac sententia, decerni posse: Porro coacto Senatu, ac Montmorantii propositionibus maturius pensis decretum, ut Deputati rursus Tabernas reverterentur.

§. XC.

Galli per Argentinenses ab urbis ingressu exclusi.

Steid. comm.
l. 24. p. 881.

Ergo hi Tabernas redeunt, moxque Connestabilem adeunt, qui tamen eos acerbius excipiens suam ipsis ingratitudinem durius exprobat, quin imo ipsemet Rex, qui eos ad alloquium admiserat, ipsis eadem, modestioribus tamen verbis obiiciebat, quapropter antonam multo copiosiore, quam antea, ad castra secum adducentes rogabant, ut Rex denuo oblata hæc dona æquo animo acceptaret: de cetero excusatos eos haberet, si ob tumultus, ac licentiæ militaris metum in urbem suam eum non admitterent: Post hæc Argentinenses, quicquid frumenti, ac panis per vicos, vicinaque oppida reperiri poterat, ad castra devehit jubebant, quæ ratione urbem suam intrandi prætextum, quo Rex utebatur, egregie eludebant, Hagenonensibus interea æque, ac Wifseburgensibus ultro eidem urbium suarum portas aperientibus: cum igitur Rex

Rex Argentina recedere cogeretur, Hel-
 veticarum Tribuum Deputatos, qui Ar-
 gentinenses in gratiam recipi petebant,
 excepit, illosque perbenigne habuit,
 cumque ea, quæ armis exequi non po-
 terat, benevolentia demereri vellet,
 eisdem significabat, quod in ipsorum
 gratiam copias suas in Lotharingiam
 reducere paratus esset: quinimo reipsa
 paulo post promissis stabat, postquam
 hanc ob rem a Palatino, Moguntino,
 & Trevirensi Electoribus, necnon a
 Cliviensi, ac Wirtembergico Ducibus,
 qui nuper Reipublicæ causa Worma-
 tiam venerè, Legatos excepèrat, illis-
 que verbis admodum blandis re-
 spondebat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1552.

§. XCI.

*Fœderati Principes pro stabilienda
 pace Passavii congregati.*

Hac ratione (*) Rex in Gallias rever-
 ti statuit, ubi etiam ab Electore
 Saxonico nuntium de novo rerum suc-
 cessu

(*) Inopinæ hujus fugæ causam Thua-
 nus l. cit. hanc adducit: *Rex cum a tergo in
 Campaniæ fines populandum hostem cum copiis
 ingressum esse intellexisset, in Gallias quam-
 primum redire decrevit.*

Sæcul. XVI

A.C. 1552

cessu accepit, nam hic Regi hæc significabat „omnes ferme Principes, ac „Germaniæ urbes prius libertati restitui, nunc autem vel maxime de „Landgravii Soceri mei salute sollicitus „sum, nam Cæsar, ni conditiones ab „eo oblatas acceptavero, illius mortem „comminatus fuit: quapropter ad concordiæ pacta descendere cogor, hanc „que ob rem Passavium abire compulsus „sum, ut ibidem die vigesima sexta Maii „desuper deliberare possem. Enimvero Principes Fœderati, quos inter præcipuus erat Mauritius, præstituta die Passavium venerant, tantoque studio rem urgebant, ut pax, quæ vulgo transactio Passaviensis appellatur, die prima Augusti fuerit conclusa. Aderant ibi Ferdinandus, Bavarici Ducis, Salisburgensis, atque Eichstadiensis Episcopi præter Electorum, ac Clivensis, & Wirtembergici Ducum Oratores. Porro Sessiones plusquam ad bimestre protrahantur; prima enim Junii die Mauritius prolixè perorans de publica administratione querebatur, exterisque Imperii regimen oppressa libertate invasisse agebat. Postea Joannes Fraxineus Bajocensis Episcopus, quem Mauritius eo secum adduxerat, die tertia Junii ad alloquium admissus, pluribus, amplissimisque verbis Galliarum Re-

Regis merita exaggerabat: Tandem vero post crebram altercationem ultro, citroque habitam, literæque jam ad Cæsarem missis, jam ab eo receptis, ac insuper Ferdinando Rege nunc Passavio abeunte, nunc redeunte pax fuit firmata sequentibus hisce conditionibus.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. XCII.

Passaviensis Pacis articuli pro tuenda Religionis libertate.

„I. **M**auritius Dux, atque S. R. J. Elector Saxonicus, sui que belli consortes Principes, ac Status hanc compositionem amplectentes a coeptis sumptisque armis profus desistant, suosque paratos, & conscriptos milites ad undecimum, duodecimumve diem Augusti mensis proximum undequaque dimittant, dissipent, atque discurrere, vel nobis Regi Ferdinando ad petitionem, stipemque nostram adjungi, vel admoveri sinant.

„II. Interea Philippus Hassorum Landgravius saltem die vigesima secunda hujus Mensis libertati restituetur, ac sancitam Hallæ in Saxonia capitulationem ratam de novo habere, ac irreffragabiliter observare teneatur, adeoque detentionem suam, & custodiam haud quaquam vindicare,

„re,

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

„re, quinimmo Cæsareæ Majestati, Sa-
„croque Imperio sese Principem per
„dies vitæ suæ obsequentem exhibere,
„& ad omnia ista Cæsareæ Majestati
„formula decenti hic loci præscripta suf-
„ficienter astringere, efficereque tandem
„velit, ut idem a filiis, ditioneque sua nova
„literarum obligatione præstituta serve-
„tur, ac teneatur, nulla vero decla-
„retur proscriptionis sententia in eum
„lata.

„III. Cœptam Cassellæ, aliarum-
„que urbium munitionem Imperato-
„ria Majestas sua sub quocunque præ-
„textu præfato Landgravio non impe-
„diat.

„IV. Cæsarea Majestas sincere spon-
„deat, quod contra quemcunque hujus
„fœderis socium sub quocunque etiam
„religionis prætextu copias suas jam
„conscriptas, vel imposterum confici-
„endas in aciem aducere nolit.

„V. Circa ea, quæ Religionem spe-
„ctant, quivis id, quod æquum, & ju-
„stum est, sequatur, ac quiete vivat;
„Majestas vero Cæsarea sponsonem gra-
„tiosam nuper ad oppidum Lincum fa-
„ctam, extunc dato responso fideliter
„præstet, & intra dimidii anni spatium
„Comitia habeantur, in quibus dein,
„qua via, quibusque modis, nimirum
„seu Generali, seu Nationali Concilio,
„aut

„aut colloquiis, vel communi etiam
 „Imperii conventu Religionis discordiæ
 „commode, & compendio sopiantur,
 „atque ad unionem Christianam redi-
 „gantur, atque ejusmodi conciliatio
 „Religionis ab omnibus Sacri Imperii
 „Statibus, mediante Majestatis suæ or-
 „dinaria ope, præsidioque pertractetur:
 „initio autem Comitiorum ad præpara-
 „tionem concordiæ delectus placidarum,
 „prudentumque personarum constitua-
 „tur, utriusque Religionis æquali nu-
 „mero cum mandato deliberandi, qui-
 „bus modis ejusmodi conciliatio tanto-
 „pere desiderata, atque concordia insti-
 „tuti commode possit, non solum ad
 „Germaniæ, sed totius Europæ utilita-
 „tem.

Sæc. XVI.
 A.C. 1552.

„VI. Interea temporis nec Cæsarea
 „Majestas, neque nos, ac Electores,
 „Principes, & Sacri Imperii Status
 „quempiam ex Augustanæ Confessionis
 „Statibus propter religionem, vi, fa-
 „ctove, aut alias contra ejus conscien-
 „tiam, ac voluntatem cogere, aut ea
 „de causa vi, bello petere, vel in-
 „vadere, vel oppugnare aliquem, eive
 „damnum aliquod inferre, sive per man-
 „data, sive alio quovis modo ipsum gra-
 „vare, vel etiam contemnere, feremus,
 „sed in sua Religione, fideque quiete, &
 „pacifice stare, manereque sinemus.

Hist. Eccles. Tom. XLI. D d „VII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

„VII. Ob hoc quoque bellum Status
 „omnes Augustanæ Confessionis coete-
 „ros Sacri Imperii Status antiquæ Re-
 „ligionis Ecclesiasticos, & seculares si-
 „militer Religionis suæ, Ceremoniarum,
 „constitutionum, rerum immobilium, &
 „mobiliū, ditionum, subditorum, re-
 „dituum, censuum, superioritatum, &
 „Jurisdictionum causa non gravent, sed
 „pacifice, tranquilleque illis uti, frui-
 „que sinant, nec vi, factove, seu alias
 „maligne contra eos quicquam præsu-
 „mant: Verum enimvero juxta nostras,
 „& Sacri Imperii ordinationes, confi-
 „tutiones, edicta, decreta, Recessus
 „factæ pacis, singuli erga singulos or-
 „dinario jure, justitiaque contenti sint,
 „sub proxime renovatæ pacificationis
 „pœna.

„VIII. Quidquid in Comitibus illis a
 „communibus Statibus una cum Cæsa-
 „ræ Majestatis ordinario præsidio con-
 „cludetur, ac statuetur, in posterum
 „quidem, & recte, & firmiter serve-
 „tur, neque in contrarium, aliave via
 „diversum agatur: Omne autem, quod
 „dictis induciis adversative censetur,
 „in nihilo derogat illis, aut quicquam
 „imminuet, idque a Cæsarea Majestate,
 „nobis item, & Electoribus Principibus,
 „ac Statibus respective, sufficienter, in
 „quantum fuerit necesse, vigore hujus
 „com-

„compositionis, seu transactionis cau- Sæcul. XVI.
 „tum, confirmatumque sit: Prætor A C. 1552
 „quoque Cameræ Judicii, & Confes-
 „siones de iisdem induciis certificentur,
 „mediisque eorum juramentis eisdem
 „pareant, & obsequantur.

„IX. Quod attinet ad gravamina,
 „quæ Germanicæ Nationis libertati con-
 „traria irrepsisse videntur, hujusmodi
 „gravaminum resolutionem ad proxima
 „comitia, aliumve Imperii conventum
 „hac vice reiicimus, spe bona ex Lin-
 „nica consensione per Cæsareæ Majesta-
 „tis consiliarios præbita suffulti, eandem
 „consilium in futuram esse, quo Sacri Im-
 „perii, & Statuum publicis, & priva-
 „tis causis consuletur, cum jam in eo
 „tota Majestas sua elaboraret, ut & apud
 „suam Majestatem Germanicus Senatus
 „constituatur, & Germanicæ res, caus-
 „sæque per Germanos tractentur, ac
 „disponantur, ita, ut omnibus placeat,
 „omnibusque fiat satis.

„X. In suffragiis dandis, rogandis-
 „que æqualitas servetur, æquum jus
 „partibus, nec iniquum reddendo, &
 „conservando: similiter & in præsen-
 „tandis Assessoribus, aliisque pacis, &
 „justitiæ articulis hac tractatione placuit,
 „si quod operæ pretium, ac delibera-
 „tione dignum in Dicasterii Cameræ
 „constitutione apparuerit, quandoqui-
 „dem

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

„dem eadem constitutio communi Sta-
„tuum assensu, Comitioque Imperii
„sancita est, non etiam nisi per Cæsa-
„ream Majestatem, Statusque com-
„munes rebus ita ferentibus ordinaria
„via, utpote visitationibus, aliisque
„mediis mutari, tollique posse, in qua
„re nos Electorum Legati, comparen-
„tes Principes, & absentium nuntii re-
„cipimus nos, ac consentimus omnem
„diligentiam, operamque præstituros,
„ne qua partium, in Religionis nego-
„tio suffragiorum imparitate sibi præ-
„cæteris metuat, partialitate remota.

„XI. Quod privata Regis Franciæ
„negotia spectat, Mauritius Elector Sa-
„xonius vigore Linsensis decreti, seu
„recessus cum dicto Rege, aut ejus O-
„ratoribus, si id necdum factum est,
„dein tractare poterit: si quid idem Rex
„forte privatarum caussarum adversus
„Cæsaream Majestatem præterit, po-
„terit & actiones, seu postulationes
„Romanorum Regi exhibere, Cæsareæ
„Majestati porro per eum transmitten-
„das, ut hi suam voluntatem desuper
„declarent.

„XII. Quoad illos, qui belli præte-
„riti caussa, Banno, & indignatione
„Cæsareæ Majestatis nexi sunt, ac pro-
„scripti, huic militiæ juncti, nihil e-
„quidem intermisimus ipsi, simul cum
„Ele-

„Electoꝛibus , Legatis , præſentibus Sæc XVI.
 „Principibus , & abſentium nuntiis , A.C. 1552.
 „Iuominus fideliffime , amantiffimeque
 „& humiliter rem hanc promoveremus,
 „tandemque impetraremus , ut Alber-
 „tus Comes a Mansfelt pariter cum fi-
 „liis ſuis , Comes item Rheni , Chri-
 „ſtophorus Comes ab Oldenburg, Joan-
 „nes Baro ab Heideck , Fridericus a
 „Rechental , Georgius a Peckenrod, Se-
 „baſtianus a Schertle , &c. aliique ejus
 „belli cauſa in indignationem incidentes
 „a terris, & Comitatibus ſuis, bonisque
 „abacti, nempe Dux Odorius Olderi-
 „cus , Wolfgangus Princeps ab An-
 „halt , item Brounſuicenſes Principes,
 „ac nobiles , cœterique omnes , & ſin-
 „guli ſuperioris , & inferioris Status,
 „nominati , & innominati, ob bellum
 „præteritum inſimulati , ac eidem, dum
 „adhærent, metu , ſolicitudineque li-
 „berati, rurfus in Cæſareæ Majeltatis
 „gratiam , fidemque admitterentur, &
 „reciperentur , nunc hujus quidem
 „compositionis vigore reconciliati af-
 „ſumantur , hoc pacto tamen , condi-
 „tioneque , ut de cœtero Cæſareæ Ma-
 „jeſtati, Sacroque Imperio juſtam, de-
 „bitamque præſtent, ac ſervent obedi-
 „entiam, neque adverſus ejus Majeſta-
 „tem , Imperii Principes , aut Impe-
 „rium militent, priuſquam hic articu-

D d 3 „lus

Sæcul. XVI. „lus communibus gravaminibus infe-
 A. C 1552. „endus resolvatur, cui deinceps trans-
 „actioni, resolu ionique stabitur.

„XIII. Jam & reconciliati, inque
 „gratiam recepti, ut supra dictum est,
 „ac isto jam tempore extra Germanicæ
 „nationis Imperium in Gallia, aliisve
 „locis agentes, & contra Cæsaream
 „Majestatem militantes intra sex septi-
 „manas proximas post datum hujus
 „compositionis diploma se declarent,
 „moxque ab eo tempore adversus Im-
 „peratoriam Majestatem, Imperique
 „Status non militent, neque se ejus-
 „modi militiæ mancipent, tum & ad
 „summum bimestri proximo in Germa-
 „niam revertantur, aut hac ipsa recon-
 „ciliatione & gratia omnino destituan-
 „tur oportet.

„XIV. Cum vero durante bello ple-
 „ræque novationes sint abortæ, qui-
 „dam etiam Electores, Principes, Sta-
 „tus, & Civitates bonis, rebusque suis
 „privati, damnumque passi sint, omnia
 „Principes hujus militiæ occupata, vel
 „dominia, vel territoria, vel oppida,
 „villasve, hominesve, hæc quidem
 „cuncta Statibus iis, quibus antea fue-
 „rant, restituant, juramenta que ipsis,
 „ut supra dictum est, adhæsionesque
 „remittant, atque de illis absolvant.

„ac

„ac liberent, falvis quoque liberarum Sæcul. XVI.
 „civitatum Privilegiis, & libertatibus, A.C. 1552.
 „quas deinceps retinebunt.

„Vicissim Cæsarea Majestas publicæ
 „pacis, aliorumque damnorum evitan-
 „dorum respectu omnes, & singulas a-
 „ctiones, impetitionesque, quas Sta-
 „tus hi, & Civitates, sive etiam pri-
 „vatæ personæ in belli hujus Principes,
 „eorumque hinc inde conjunctos, & ad-
 „hærentes datorum occasione præten-
 „dere possent, abroget de plenaria Cæ-
 „sareæ Majestatis suæ potestate, ope-
 „ram nobiscum, & cum cæteris Impe-
 „rii Statibus datura, omnique studio,
 „& gratia eo enitura, ut æquis mediis,
 „viisque ratio ineatur, vi cujus dam-
 „na illa perquam graviter accepta,
 „Statibus læsis, Civitatibus item, &
 „subditis absque hujus militiæ conjun-
 „ctorum Statuum ope, impendioque re-
 „parentur, ne qua porro succedentibus
 „motibus occasio detur, & firma pax,
 „tranquillitasque retineatur.

„XV. Reinhardus a Solms Comes
 „justa cautione facta, cæterique omnes
 „utrinque capti ad præstitutum diem
 „undecimum, sive duodecimum Augu-
 „sti absque dispendio libertate donen-
 „tur.

„XVI. Si Albertus Marchio Bran-
 „denburgensis bello cefferit, ac intra
 D d 4 „tem-

Sæcul. XVI. „tempus præfixum dierum quadraginta
A.C. 1552. „militem dimiserit, hanc quoque trans-
 „actionem sua parte probaverit, indu-
 „ciasque servaverit, nec ipse cuiquam,
 „milesque suus damnum dederit, his
 „etiam pactis comprehendatur, evoluta
 „autem termino non recipiatur.

„XVII. Quod ad postulatum Broun-
 „suicensium Procerum, eorumque pos-
 „sessionum restitutionem, quibus a Du-
 „ce Henrico Brounsuicensi ornati sunt,
 „æque alienum spectat, ad cavenda,
 „vitandaque alia majora gravamina in-
 „de secutura, ac pro componendæ pa-
 „cis causa, & Sacri Imperii tranquili-
 „tate conservanda, intercessores dabit,
 „seu Commissarios Cæsarea Majestas,
 „utrumque Electorem Saxonicum, &
 „Brandenburgensem, Joannem quoque
 „Marchionem Brandenburgensem &
 „Philippum Ducem Pomeraniæ, ple-
 „nam eis potestatem cum pleno manda-
 „to tribuens, Principales ipsos aptum,
 „idoneumque in locum quantocyus fie-
 „ri potest, vocandi, ad transfigendam
 „& restitutionis, & æris alieni contro-
 „versiam, idque summarie, prout neces-
 „sitas postulaverit, quam quoque accu-
 „ratissime fieri poterit, dummodo Dux
 „arma ponat.

„XVIII. Hæc omnia, & singula su- Sæcul. XVI.
 „pra scripta, & in singulis articulis no- A.C. 1552.
 „minatim specificata, Cæsarea Maje-
 „stas, quoad ipsammet concernunt,
 „vi, virtuteque ratificationis suæ desu-
 „per factæ, ex Majestatis suæ dignita-
 „te nuncupata linqua pro se, suisque
 „posteris firmiter, infractè, citraque
 „contradictionem servare justè, rectè-
 „que exequi teneatur, nec in contra-
 „rium vel nunc, vel in futurum, sive
 „ex plenitudine potestatis, aut ulla alia
 „specie, prætextive, quocunque id
 „nomine vocetur, quicquam moliri,
 „agere, publicareve, neque cuiquam
 „ulli alii sua causa permittere, non at-
 „tentis quibuscunque aliis decretis, fa-
 „ctis, edictisve, huic conventioni in
 „aliquo adversantibus: quin potius o-
 „mnes Sacri Imperii Status, singulos-
 „que in hac compositione, hisque in-
 „duciis, & articulis aliis comprehen-
 „sos manutenere, defendere, atque
 „tueri volumus.

„Si quis quive Status unus, plures-
 „ve, alium, aliosve quovis modo, qua-
 „vis specie, seu prætextu cogere, op-
 „pugnare, lædere, aut gravare suave
 „diripere tentaret (quod tamen nulla
 „ratione fore speratur) eum, eosque
 „Cæsarea Majestas simul cum altera

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

„parte, in quam ista coactio, minæ,
„& pericula protenduntur, Cæsarea
„ope, consilioque veluti ex officio suæ
„Majestati addecet, æquumque est
„adjuvare, eaque ipsa gravamina amo-
„vere fatagat.

§. XCIII.

*Albertus Marchio Brandenburgicus
hoc fœdere comprehendendi recusans.*

*Thuan. hist.
l. 20.]*

Ceterum hæc pacta Germaniæ Prote-
stantibus admodum erant proficua,
eaque in hanc usque diem tanquam fir-
missimum respiciunt fundamentum, jux-
ta quod cuncta Catholicos inter, & Lu-
theranos dissidia componere fatagunt,
hoc tamen idem fœdus Alberto Bran-
deburgico Marchioni adeo non proba-
batur, ut etiam eidem accedere dedig-
naretur, palamque adversus Mauritium,
cui tamen arcta prius amicitia junctus
erat, hanc in rem declamaret. Ipse
quoque Imperator Marchionem, ut huic
fœderi nomen daret, incassum sollicita-
bat, datisque frustra ad eum literis ro-
gabatur, ut & ipse sese huic transactioni
subiiceret. Verum surdas ille præbe-
bat aures, quinimo cum ipso etiam Gal-
liarum Rege armorum societatem ini-
bat atque ulterius cuncta ferro flam-
maque devastabat, ipsumque Cæsarem eo

eo adigebat, ut hic ipsum tanquam perdu- Sæcul XVI.
 ellem, ac seditiosum ab Imperio proferri- A. C. 1552.
 beret.

§. XCIV.

*Pax firmata sine ulla Franciæ Regis
 habita ratione.*

Non minus quam Brandeburgicus E- Thuan. l. 10.
 lector, ipse etiam Joannes Fresnius,
 seu Fraxineus Bajocensis Episcopus in-
 dignabatur, eo quod in hac pace ferme
 nulla Regis Franciæ Domini sui ratio
 fuerit habita, quapropter Episcopus de
 hoc contemptu, gravique injuria que-
 stus in Gallias reversus est, præcipue
 ira commotus ob factam in decimo ar-
 ticulo additionem, quod, ne Rex om-
 nino præteritus, & a Sociis desertus
 videretur, de controversiis, quas cum
 Cæsare privatim haberet, quoniam eæ
 ad Imperium minime pertinent, liceat
 ipsi cum Mauritio agere, ut de iis dun-
 taxat per Ferdinandum Regem ad Cæ-
 sarem referatur.

Nihilominus Elector Mauritius Epif-
 copum utcumque placatum dimisit, ex
 ea inprimis ratione, quod in certissimum
 discrimen, nisi cum Cæsare mature
 transgisset, Hassum Socerum adductu-
 rus fuisset.

In-

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

Insuper ipsemet Elector, ejusque Socii officiosis omnino literis Regi grates rependebant, quod in Protestantium favorem tam validam eis opem præstitisset, ac Cæsarem ad pacem adeo proficuum adegisset, insuper se ab ejus obsequio nullatenus avellendos esse spondebant. Ad hæc Franciæ Rex iisdem ferme verbis respondit, declarans, quod unice ad promovenda Protestantium Principum commoda bellum inchoasset, cum vero ejus auxilio haud ultra indigerent, aliis consiliis intentus esset. Hac ratione, sive quod Rex rebus suis sat idonee a Mauritio privatim cautum esse sciret, sive dolorem adhuc dissimulandum duceret, minime questus obsides, sine ullo offensionis signo salvos in Germaniam remisit.

§. XCV.

Hassiae Landgravius libertati restitutus.

Sleid. comm. l. 24. p. 905.
Thu. hist. l. 10. Igitur vi Passaviensis foederis Hassiae Landgravius, qui Mechliniæ captus hærebat, die decima tertia Augusti in libertatem asserebatur: cum vero per Mosæ transitum ad sua reverteretur, jussu Mariæ Reginæ, quæ Belgii gubernatrix erat, denuo detinetur, donec, prout dicebat ipsa, de Cæsaris voluntate

voluntate plenius cognovisset, qua- Sæcul. XVI.
 propter Landgravius iisdem Hispanis, A.C. 1552.
 qui eum per quinque annos servaverunt,
 custodiendus dabatur: porro hujus cap-
 tivitatis causa hæc erat, quod Reif-
 fembergius post solutam Francofordien-
 sis urbis obsidionem ab Alberto Brande-
 burgico sollicitatus cum sua legione,
 transmissa Mœno flumine, ad eum trans-
 fugisset, cum vero Albertus Gallis foe-
 dere junctus esset, Regina hac Reiffem-
 bergii defectione pacem fuisse violatam,
 ac non minus Albertum quam Land-
 gravium hujus culpæ reos esse conten-
 debat. Verum Imperator mox com-
 perta Landgravii captivitate eum rur-
 sus libertati reddi præcepit; quapro-
 pter hic die quarta Septembris liber di-
 missus per Flandriam quantocius Cassel-
 lam petiit.

§. XCVI.

*Mauritii, ac Cæsaris foedus contra
 Albertum.*

Mauritius Saxoniae Elector cum haud Sleid. &
 immerito pertimesceret, ne Impe- Thu. l. c.
 rator insuperhabita pace injurias, qui-
 bus eum affecerat, justa offensione vin-
 dicaturus esset, hinc totus in eo erat,
 ut sua ei offerret obsequia contra Alber-
 tum, qui absque ceterorum foederato-
 rum

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

rum auxilio bellum prosequeretur : igitur Cæsar oblatam opem acceptans foedus cum eo pepigit, eumque Cæsareis præfecit copiis, quibus etiam Brunsvicensis Ducis agmina adjunxit. Nihilominus Albertus nova hac armorum societate minime territus Lichtenaviensem urbem, arcemque non nisi duobus miliaribus Norimberga distitam occupat, centumque pagos, ac septuaginta arces, præter cunctos suburbanos recessus ad Norimbergensium civium delicias compositos comburit, nec ejus furorem ipsa etiam templorum Religio coercebat, sed Sacras ædes deprædatur, tandem una omnes in cineres redigit, & postea densam Sylvam, ex qua alias cædua ligna tam pro fabrica, quam pro usu domestico colligebantur, injecto igne incendit, ac plusquam tribus jugerorum millibus continuato incendio devastatis, omnibus circumcirca vicinis Nobilibus bellum nuntiavit, ni subito ejus partibus accederent. Hos inter præcipue Bambergensis, ac Herbipolensis Episcopi in Franconia, ut se a deprædatione majorisque cladis periculo liberarent, durissimis conditionibus pacem redimere cogebantur; Deputati vero, quos Sueviæ urbes ad eum mittebant, nihil ab illo

im-

impetrare poterant; Albertus enim ob-
fessa Norimbergensi urbe, eisdem fe-
verissimas præscripsit leges, sub qui-
bus urbem obsidione se liberaturum
promittebat: postea Ulmensibus quæ-
vis mala comminatus copias suas Tre-
virim versus duxit, Confluentinæ arcis
devotionem ab Archiepiscopo extorsu-
rus.

Sæc XVI.
A.C 1552.

§. XCVII.

*Alæ crudelitates ab Alberto Bran-
deburgico in Germania exer-
citæ.*

Sub idem tempus Albertus Marchio a
foederatorum exercitu secedens ad
Rhenum usque excurrerat, ac Worma-
tio, Spiraque occupatis, ingentes pe-
cuniarum summas, necnon quædam
belli tormenta ab incolis extorquebat,
tantoque omnem, qua late patet, Re-
gionem terrore replebat, ut Sacerdo-
tes, ne dignoscerentur, vel veste muta-
ta status sui conditionem dissimularent,
vel fuga sibi consularent, imo & ipsi
Episcopi partim delitescere, partim se-
cedere cogerentur. Interea Cæsar fer-
ventibus hisce tumultibus Ulmam dela-
tus, Moguntinum, Spirenses, Herbi-
polensem, ac Bambergensem Episcopos
ob iniquas condiciones ipsis ab Alberto
impositas summo dolore confectos re-
perie-

Thu. l. 10.
§ II.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552. periebat, unde eorum querelas miseratus cunctas eorum pactiones rescindit, easque nullatenus servandas declarabat, præcipiebatque, ut quis pro recuperandis bonis suis arma sumeret, quinimo Norimbergensibus eadem concedens illos hortabatur, ut junctis omnibus viribus suos fines contra communem hostem tuerentur: Suevis vero, populisque ad Rhenum commorantibus auctor exstitit, ut ad bellum sese accingerent: quapropter una omnes adversus Albertum armorum societate jungebantur.

§. XCVIII.

*Cæsar Argentinam delatus.**Thu. l. c.*

Inde Imperator per Wirtembergensem ditionem profectus iter suum Argentinam versus prosequabatur, ubi Lotharingici Ducis Vidua, quam Galliarum Rex sui Principatus administratione spoliaverat, Cæsarem visum ibat, inde vero is in Belgium recedebat. Ceterum damna, ac vastationes huic regioni a Cæsareis illatæ vix calamo exprimi possunt; cuncta enim continuo ubique incendio flagrabant, ac nil nisi deprædationes, ac gemitus illorum audiebantur, qui relictis omnibus bonis fuga sibi consulebant.

Gal-

Galliarum Rex cum Cæsarem victri-
 cibus armis suis propius accedere intel-
 ligeret, haud obscure percipiebat, il-
 lum non alio ex fine per Lotharingiam
 erupisse, nisi ut Metensem, Tullensem,
 ac Virodunensem urbes, quas Rex ab
 Imperii dominio abstraxerat, recupe-
 raret: eapropter Henricus II. ineunte
 jam Mense Octobri Cataphractas Lo-
 tharingiæ Ducis, Guisii ac Principis de
 Rupe ad jonem, centurias unacum tri-
 bus levioris armaturæ equitum, ac o-
 cto peditum vexillis Metin præmisit:
 ne vero hæ copię ante hostis adven-
 tum jamjam annonam consumerent,
 Guisius Dux hos milites extra urbem
 castra metari, atque adventantis com-
 meatus, bellicique apparatus plaustra
 comitari jubebat. Ceterum jamjam ob-
 sidioni præludebatur quibusdam velita-
 tionibus Cæsareas Albæ Ducis copias
 inter ac Galliarum Regis præfidiarios,
 ubi tamen Albæ Dux suorum jacturam,
 quam subinde patiebatur, paulo post
 tam dextre vindicabat, ut abs dubio
 Gallis exitium impendisset, si Cæsar
 tanta, qua sperabatur, celeritate præsto
 esse potuisset.

§. XCIX.

Metensis urbs a Carolo V. obsessa.

Hist. Eccles. Tom. XLI.

E e Ve-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1552.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Sleid. comm.
l. 24. p. 909.
relat. de
Siege de
Metz par
Salignac
Daniel hist.
de France
tom. 6. p. 44.

Verum Carolus Imperator nonnisi vigesima secunda Octobris die Metensis obsidioni initium dare poterat, hac autem mora Guisio Duci opportunum relinquebat spatium, ut hanc æque, ac Nancejensem urbem necessario apparatu instruere, plurimosque Proceres, qui ad earum defensionem accederent, illis imponere posset. Eo tempore Albertus Marchio Brandenburgicus, qui adhucdum Gallis fœdere junctus erat, prope Pontem - Mussanum cum quinquaginta peditum centuriis, ac numero Equitatu castra metabatur, ubi vero Cæsarem appropinquare noverat, mox mutata animi sententia clam cum illo pacifcebat, ac die quarta Novembris ad Cæsaris castra ante urbis Metensis muros posita veniebat. Aumalius Dux cum Albertum ad Cæsarem defecisse perciperet, mox cum suo agmine accurrerat, vel ut Albertum captum abstraheret, vel saltem ejusdem exercitum Cæsareis jungere præpediret: verum sinistra fortuna usus disjectis, inque fugam actis copiis suis ab Alberto profugatus, captusque fuit.

S. C.

*Cæsar obsidionem ignominiose solvere
coactus.*

Ita.

Itaque Carolus Imperator primis hisce
victoriæ auspiciis animatus, cum a-
liunde exercitum ferme centies mille
peditibus ac duodecim equitum millibus
validum recenseret, die vigesima secun-
da Octobris tanta animi fortitudine,
quæ Belliducem de victoria certum de-
cet, obsidionem auspicatur, urbemque
centum, & quatuordecim belli tormen-
tis identidem verberat: verum urbe a
Belliducibus magis adhuc valide pro-
pugnata Cæsar elusa suorum fortitudi-
ne, ac conatibus obsidionem exeunte
Mense Decembri solvere cogebatur (*)

Sæc. XVI.
A.C. 1552.
Thu. l. II.
p. 348.
Sleid. l. c.

E e 2 ac

(*) Hujus obsidionis solutionem pro mo-
re gentis suæ jactabundus invictæ Belliducum
fortitudini adscribit, verum præter alios Scrip-
tores quamplurimos Sleidanus & Heuterus l.
I. 3. c. 17. Rem magis ingenue describunt his
verbis: *cum Cæsar ad urbem Metensem nec tor-
mentis nec cuniculis quicquam proficeret, nulla-
que ratione consultum videretur, militem mor-
bis invalidum, in dubiæ expugnationis eventum
firmissimo obicere præsidio, discedere soluta ob-
sidione statuit: bruma enim continuo gelu cor-
pora urebat, ingensque aere demissa nix mole-
stissima erat: quibus incommodis cum mox con-
tinuæ supervenirent pluvix, resoluta nive, omnia
aquis tegebantur, corrumpebanturque: milites
vero*

Sæcul. XVI ac Cæsarei obsidionales fossas die Sanctis Innocentibus sacra post sexagesimam quintam ab hostilis exercitus adventu, ac post quadragesimam quintam diem ab urbe tormentis verberari cæpta reliquerunt.

§. CI.

Guiski Ducis pietas erga vulneratos.

Daniel. l. c. p. 54. tom. 6. Quamprimum Guisus Dux obsidionem solutam, hostemque inde recedentem conspexerat, mox tres Proceres totam rei gestæ seriem exposituros ad Regem ablegabat, qui ab eodem pro successus tam prosperi dignitate summo gaudio excipiebantur. Paulo post Nivernensis Dux, ac Sancti Andreæ Marefcallus, qui Tullenses, ac Virodunenses fines valido equitum agmine tuebantur, quantocius Metim concesserunt, ac unacum Guisio Duce Cæsareorum castra, aggeres, ac stationes lustrabant: ubique vero magno numero tam ægrotos, quam vulneratos, qui ægre animam trahentes opem implorarent, offendebant: Itaque Dux primævo indolis beneficio magnanimus, ac

vero alvi solutione, ac torminum doloribus correpti (dysenteriam græci vocant) magna in dies numero interibant.

miserorum forte commotus, mox cunctis cibum ac medicamenta suppeditare jussit, præcepitque sui exercitus Chirurgis, ut ea, quam suis præfidiariis impenderent, sollicitudine eorum vulnera curarent, eisque veluti amicis omne auxilium præstarent. Biduo post viginti cymbas stramineis culcitris, alioque apparatu percommodo instrui, eisque infirmos, & vulneratos imponi, ac tandem ad Theodonis villam deduci fecit. Hac pietate Dux Germanorum æque, ac Italarum, & Hispanorum amorem, & venerationem sibi conciliabat, atque existimationem, quam sibi jamjam inter Gallos comparaverat, plurimum augebat, & magis, magisque nominis sui famam apud omnes æterna memoria dignam reddebat. Ceterum, si captivis fides habenda, in hac expeditione circiter triginta quinque hostium millia partim contagione, partim gladio periire.

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

§. CII.

*Luxemburgensis Provincia a Gallis
misere devastata.*

Post hæc Henricus II. in Germaniam per Luxemburgensem Ducatum reversus, ibidem occupatis quibusdam oppidis totam circa circum regionem de-

*Thu. hist. 10.
Sleid. l. 24.
p. 909.*

E e 3 vasta-

Sæcul. XVI. vastabat, incensisque S. Joannis, ac
 C.A. 1552. Soleureo arcibus munitissimis insuper
 in Luxemburgensi Ducatu Danvillerium,
 Ivodium, & Montem-Medium armis
 suis subigebat.

§. CIII.

*Salernitanus Princeps ex Neapoli ad
 Regem profectus.*

Thu. l. c.

Eadem die, qua Rex Danvillerium in-
 grediebatur, Ferdinandus Sanse-
 verinas Salerni Princeps ex Regno Nea-
 politano veredariis equis vectus adve-
 nit, Regique hæc exposuit: „nunquam
 „Gallis magis opportuna Neapolis re-
 „gnum facile occupandi occasio sese of-
 „ferebat, quam in moderno rerum statu;
 „quippe Neapolitani Hispanorum vexa-
 „tiones diutius perferre pertæsi jugum
 „excutere decreverunt, ut ergo unao-
 „mnes ad seditionem, & capessenda
 „arma concitentur, exiguum militum
 „manum Regni finibus admovere suf-
 „ficiet. Equidem Henricus Salerni
 Principem summa, qua decuit, be-
 nevolentia excepit, ejusque propositio-
 nibus benignas aures præbuit, certum
 tamen dare responsum, haud consul-
 tum fore duxit: Interea Carolus V.
 Hujus Principis molimina edoctus Nea-
 polis Proregi injunxit, ut Ferdinandum

ca-

capere, ejus bona ærario addicere, Sæcul XVI
 eumque tanquam perduellem insequi A.C. 1552.
 vellet: cum autem hæc interim gere-
 rentur, Henricus II. Lutetiam Parisio-
 rum reversus est, quin tamen suis co-
 piis missionem faceret.

§. CIV.

*Italia ob Turcicæ classis adventum per-
 territa, & de bello parando delibe-
 ratum.*

Ceterum Imperator hoc anno haud *Thu. hist. l. II*
 magis prospera armorum fortuna in *Contin. de*
 Italia, quam in Germania, ac Lotha- *Chalcon. l. 14.*
 ringia utebatur; cum enim Turcarum *n. 45. p. 610.*
 classis centum viginti tribus triremibus,
 quibusdam myoparonibus, plurimis-
 que navigiis minoribus valida, Constanti-
 nopoli die quarta Maii solvisset, ac in ma-
 re Tyrrhenum descendisset, tam inopi-
 natus hostium incursus totam Etruriam
 summo terrore replebat, cum autem
 classis jamjam ad Messanensem Pharum
 venisset, hanc tempestatem Italiæ im-
 minere omnibus erat persuasum, licet
 adhuc, quam in partem potissimum in-
 cumberet, ignoraretur: Itaque Cos-
 mas Magnus Etruriæ Dux crebris
 literis Cæsarem monebat, ut Senensis
 Reipublicæ securitati prospiceret, eo-
 quod in ea civitate nonnulli cives Jaco-

Sæcul. XVI A.C. 1552. bi de Mendoza Gubernatoris arrogan-
 tiam pertæsi ad pristinam libertatem
 anhellarent, certa spe freti, quod Galli
 ad omnes motus intenti eis operam laturos
 essent, cum nil, nisi opportunam præ-
 stolarentur occasionem. Verum major
 erat Cæsari de Neapolis Regno sollicitu-
 do, quapropter ductoribus Joanne Bap-
 tista Lodronio, & Nicolao Madruvio
 copias eo submitit: cum vero illis tran-
 situs a Pontifice per ditionem suam ne-
 garetur, eo quod hic vereretur, ne pa-
 cem cum Galliarum Rege initam vio-
 lasse crederetur, hinc negotium dabo-
 tur Aurizæ Duci, ut hosce milites classe
 sua Neapolin transferret: porro cum
 Mendoza ostenderet, quod Hispano-
 rum copiæ, quas ducebat, arcu Senen-
 si, necnon Orbitello contra Turcarum
 insultus defendendis minime sufficerent,
 ideo mille Germanos, & trecentos e-
 quites a Gonzaga impetrabat, nec mi-
 nus Cosmas ditionis suæ fines milite,
 omnique belli apparatu firmare stude-
 bat.

Dum hæc interim gerebantur, Sa-
 lernitanus Princeps in Italiam reverte-
 batur, pluribus instructus literis, quas
 Franciæ Rex ad illos, qui ejus nego-
 tia ibidem procurabant, eo fine per-
 scribebat, ut hi cum ceteris de oppor-
 tunis conferrent mediis. Ergo Hypo-
 litus

litus Cardinalis Hercules Ferrariæ Du-
 cis Frater, Cardinalis Turnonius, Pau-
 lus Thermus, Princeps Salernitanus,
 Odetus Silva regius apud Venetos O-
 rator, Ludovicus Picus Mirandulæ Co-
 mes, necnon Cornelius Bentivolius
 Clodium Venetæ ditionis civitatem ve-
 niunt: Farnesiorum vero nomine huic
 conventui intererant Hieronymus Vete-
 ranus patria Pifanus, & Marius Ban-
 dinus Senensis. Ibidem de bello in Ita-
 lia gerendo actum, diuque discepta-
 tum, priusne Mediolanensem Ducatum
 an regnum Neapolitanum aggredi ex-
 pediret? cum vero neutrum placeret,
 tandem conclusum, ut de liberanda Se-
 nensium civitate unice ageretur, eo-
 quod hæc ad res novas feliciter moli-
 endas magnum momentum conferret,
 nec inutilis ad hæc consilia videretur
 Turcicæ classis adventus, cum potissi-
 ma Senensis ditionis pars ad Tyrre-
 num mare excurreret, proin si res mi-
 nus e sententia cederet, distractis sal-
 tem hostium viribus facilius in reliquis
 victoria esset. Placuit ceteris hæc sen-
 tentia, unde Cornelius Bentivolius in
 Gallias mittebatur, ut Regem hac de
 re certiore faceret.

Sæcul. XVI.
 A C 1552.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

§. CV.

Senensium tumultus pro recuperanda libertate.

*Mezeray ab-
rege chron.
vie de Henri.
II. p. 552.*

Interea ubique spargebatur fama, quod Gallorum molimina ad Neapolitanam expeditionem spectarent, quinimo hic idem rumor studiose a Prorege augebatur, eoquod sibi auxilia submitti crebris literis efflagitaret: dum vero Galliarum Rex ea, quæ Clodiæ decernebantur, perceperat, mox Ludovicum Sangelasium ad Papam ablegabat, ut eum de Turcica classe securum esse juberet, atque Senense negotium procuraret, & Regis amicos præsentia sua, ac consilio confirmaret: Cum ergo in iis angustiis esset Cæsar, & in primis pecuniæ penuria laboraret, a Cosma ducenta aureorum millia mutua petierat. Hic equidem petitam pecuniarum summam pollicetur, ea tamen lege, ut Plombinum unacum arce, omnibusque hujus conditionis munimentis redderetur. Annuit Imperator, accepta tamen ab eo cautione, quod Cosmas hæc urbes redderet, quoties expensæ in munendis iis, & conservandis factæ vel a Cæsare vel ejus hæredibus solverentur.

Hæc igitur pacta mox integra fide executioni dantur, & Cosmas sedulo Cæsareos admonebat, quod arma pararen-

rarentur in opem Senensium, eo quod tam populus, quam cives Hispanorum imperium pertæsi pro recuperanda libertate arma sumere parati essent, quinimo nuntiatum erat, quod ipsemet Pontifex huic expeditioni palam faveret, recenti injuria offensus a Mendoza, qui vigiliarum Præfectum Romæ levi ex causa contumeliose verberari jusserat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CVI.

Pontifex Senensibus favens.

Nec vanus erat hic rumor; quippe re ipsa Senenses arma capebant, cum vero in Cosmæ potentia magnum sibi præsidium esse repositum crederent, Callistum Carinum ad eum mittunt, & Cæsaris obsequium, ut ante fecerant, in posterum colere se paratos ostendunt: cæterum Mendozæ sævitiam, & Hispani militis insolentiam in causa esse inquirunt, cur arma sumpserint; igitur ut nihil contra moveat, neque, quo minus pristinam libertatem recuperent, impediatur, per viciniam, & amicitiam jura enixe admodum orant. Ad hæc Cosmas laudata civium egregia voluntate, modo Cæsaris obsequium minime desererent nec Gallis adhærerent, amicitiam vicissim pollicetur. Hanc conditionem lubenti animo acceptant

Senen-

Sæcul. XVI
A. C. 1552.

Senenses: cum autem Cosmæ Orator ab eis in datæ fidei pignus obsides tradi peteret, Lanfacus mox Roma Senas contendit, eisque promptum Franciæ Regis auxilium offert, ac ipsemet Pontifex apud Cosmam instabat, ne ullum impedimentum obiiceret, quo minus Senenses libertatem recuperarent, eo quod id tantum Galli agerent, sibi certe de ipsorum voluntate constaret; itaque copias reduceret, & occupata oppida restitueret; alioqui fore ajebat, ut, dum alieno negotio se immiscet, sibi hostem domum arcessat, qui non contentus, ut Senensium protegat res, ultro etiam ipsi bellum illaturus esset. Nec vana erant Pontificis monita; jam enim Cardinalis Ferrariensis, & Thermus Marchio Mirandulæ ac Parmæ ingentes copias parabant, in Etruriam procul dubio impetum facturi.

§. CVII.

*Conditiones inter Cosmam Etruriæ
Ducem, & Senenses.*

Itaque Cosmas, ut sese ab hoc negotio alioqui sat periculoso salvo honore suo expediret, cum Senensibus in has conditiones convenit. I. Otho Montacutus cum militibus suis omni re salva arce excederet, qua solo æquata Senenses

nenses externum militem dimittere teneantur. II. Respublica a fide, & obsequio, quod Imperio Romano debet, non discedat, nec amicis Imperio Provinciis damnum inferat, aut in sua ditione delectus haberi contra Imperium, aut Imperii amicos patiatur, Imperiive hostes in portus suos, aut navalia non recipiat, libertate pristina in omnibus salva III. nullis vicissim sumptibus in arcis exstructionem, aut in postremum bellum factis obnoxia sit, idque Cosmas pro benevolentia, qua Senenses prosequitur, apud Cæsarem impetret. IV. pacta inter ipsos, & Cosmam conventa anno hujus sæculi millesimo quingentesimo quadragésimo septimo serventur; V. Postremo capta utrinque oppida restituantur.

Ceterum Mendoza hæc pacta edoctus, primo illis consentire pernegabat, imo Cæsaris nomine copias contrahi jubebat, paulo post tamen a Senensis arcis Governatore, ut arcem Senensium arbitrio relinqueret, postulabat, simulque amissi hujus propugnaculi culpam in Cosmam reiiciebat, eo quod hic in tempore auxilia submittere neglexisset. Nec his contentus Mendoza, omnem suspicionem a se amoliri satagebat, hanc apud Cæsarem excusationem proferens, quod cum Senensibus,

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Sæcul. XVI
A.C. 1552. sibus, quia arcem defendi non possedit, convenerit, ut ea destrueretur, ne in Gallorum potestatem veniret, aut Senenses infructuosi belli continuatione externum jugum recipere cogentur.

§. CVIII.

Turcarum classis Italiae vicina.

Sub idem tempus Turcarum classis transmissa prospera navigatione freta Messanensi, die decima Julii Scylaceum, ac Cerilem duas per celebres Aprutii urbes pervenit; inde vero oppidis aliquot incensis Policastrum juxta Palinurum promontorium in Lucanis accessit, quo pariter incenso, & mox Canaroto spoliato, & colonis in captivitate abductis, sinum Salernitanum & Capream prætervecta, in Neapolitani portus conspectum venit. Ibidem Dragutes, qui primam aciem ducebant, Procitam insulæ arcem, jam antea ab Hariadeno Barbarossa incensam, denuo combussit: mox & duobus duntaxat miliaribus inde distitam Ænariam Insulam, quæ non modo arce munitissima inter duas terras saxo imposita, sed maxime Mariæ Arragoniæ Alphonsi Dauli Vastii viduæ secessu insignis est, petiit, unde præfidiariorum virtute repulsus ad suos rediit. Inter hæc Toletanus Pro
 Rex

Rex magnis angustiis Neapoli conflicta-
 batur, foris & intus obversante oculis
 periculosi motus exitu; ideo Hispanos
 omnes ex regni præfidiis evocaverat,
 ut se adversus externum hostem tueretur,
 cum interea in ipsa urbe ingens quoque
 instaret periculum ob clandestina consilia
 Salernitani Principis, qui factionem numero
 ac potentia insignem conflabat.

Sæc. XVI.
 A.C. 1552.

§. CIX.

*Fugiente Auria quædam naves a Dragute
 partim captæ, partim submersæ.*

Interea Turcica classis per Sinum Ca-
 jetanum Pontiam Farnesiorum ditio-
 nis insulam defertur, ubi Dragutes de
 Andreæ Auria adventu certior factus,
 factis velis processit, eumque, cum
 non tam prope Turcas esse crederet,
 oppressit, adeo ut Auria, cum nonnisi
 quadraginta Triremes haberet, certami-
 ni impar, jam inclinante die retro
 vela dare cogeretur tanta celeritate, ut
 universa hostium classis eum assequi mi-
 nime posset, Dragutes tamen cum sex
 expeditioribus navigiis recedentem infe-
 cutus, unam ex Aurianis navibus inter-
 cepit, & cum totam noctem, majorem-
 que diei proximæ partem in persequen-
 do

Thuan. l. IX.
 n. 3.

Sæcul. XVI.
A. G. 1552.

do hoste consumpsisset, sex alias naves præter septingentos Germanos iis impositos cepit, eorumque Ducem Nicolaum Madrucium, qui tamen ex vulnere in certamine accepto mox decessit, duobus præterea navigiis aqua submersis secum abstraxit.

Accidit hæc clades die quinta Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, unde Auria Princeps hæctenus nunquam interrupta belli fortuna usus nunc tam adverso, in quo ejus prudentia naufragabatur, scopulo allisus cum reliqua classe sua in Sardiniam, atque inde Genuam venit: Porro dum Dragutes hanc reportaverat victoriam, Salernitanus Princeps unacum Regis Christianissimi triremibus, ac duobus Vasconum milibus sese Infidelium copiis junxit, Turcasque, ut Neapolin invaderent, revocare nitebatur, cum autem illi id renuerent, se tamen sequenti anno redituros sponderent, illos Chion usque comitatus est, ibique cum Gallica classe hyberna egit.

§. CX.

Nova arx Senensibus tradita, atque ab illis solo æquata.

In-

Interea Cosmas Etruriæ Dux, ut pacta ^{Sæcul. XVI.}
 cum Senensibus nuper inita servaret, ^{A.C. 1552.}
 eis Lucinianum, & Montem fellonicum ^{Th. l. c.}
 restituit, eodemque tempore illis Clu-
 sium, quod Ascanius Corneus occupa-
 verat, nec non arx nova jussu Mendo-
 zæ reddita fuit, quæ tamen mox solo
 æquabatur. Postea ad firmendam ut-
 rinque amicitiam ultro, citroque able-
 gabantur Oratores; cum autem Orbitel-
 lum Hispani adhuc tenerent, hinc Gal-
 li urbe excedere recusabant: cum ergo
 Senenses in Cosmam, tanquam in æqui-
 tatis arbitrum consensissent, ideo hic
 datis literis summo Pontifici auctor ex-
 stitit, ut tranquillitatis per civitatem
 constituendæ, necnon emendandæ rei-
 publicæ curam in se suscipere vellet.
 Hanc ob rem eo decernebatur Fabius
 Mignanellus Cardinalis patria Senensis,
 qui novam reipublicæ normam induxe-
 rat: cum autem nonnulli Claudium
 Ptolomæum ad Franciæ Regem eo fine
 ablegarent, ut eidem tanquam Libera-
 tori nomine Reipublicæ gratias ageret,
 ejusque opem adversus libertatis suæ
 hostes, si qui futuri sint, imploraret, hinc
 Cosmas, cum ea de re pacta cum Senensi-
 bus inita violari censeret, fidei datæ si-
 bi minime standum duxit, & Mendozæ,
 ut Orbitellum retineret, auctor fuit;
 is igitur retenta hac urbe, Liburnum
Hist. Eccles. Tom. XXI. F f. pro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

profectus, Hispanos nuper ex arce dimif-
fos secum ducebat, atque Auriam, qui
post classis Turcicæ discessum Neapolim
navigaverat, præstolabatur: demum
vero unacum illo triremes conscendens
ad Sancti Stephani portum venit, ubi
præter suppetias ab Auria advectas ex-
positis in terram mille quingentis mili-
tibus turrim quamdam, quæ urbis in-
gressum tuebatur, tormentis suis qua-
tere cæpit, eamque feliciter expugna-
vit; itaque libero aditu ad urbem pa-
tefacto Mendoza Orbitellum ingressus
militem introduxit, ac annonam, ar-
cemque propugnaculis muniri iussit,
moxque inde discessit.

§. CXI.

*Mendoza a Cæsare ex Italia revo-
catus.*

Hæc agendi ratio Cæsari displicebat,
quapropter Mendozam ex Italia re-
vocabat, eo quod ibidem adeo effere,
atque arroganter sese gessisset, ut res
Cæsaris, si diutius ibi imperium tenuis-
set, ex multorum iudicio everfurus vi-
deretur.

§. CXII.

*Cosmas Gallorum partibus accedere a
Ferrariensi Cardinale sollicitatus.*

Equi-

Equidem Galli adhuc dum Senensem urbem tuebantur, cum vero Regis sui auctoritas nondum firmo pede confisteret, atque Hispani præfidiarii Orbitello impositi crebris excursionibus agrum Senensem infestarent, hinc Galli sese eorum insultibus opponere minime audebant, ut autem magis, magisque Gallicum nomen ibidem firmaretur, Franciæ Rex, postquam Papa Fabium Mignanellum Cardinalem revocaverat, illuc decernebat Ferrariensem Cardinalem, Virum longo rerum usu, ac singulari prudentia præditum. Hic, cum Senas proficisceretur, per Florentiam iter profecutus est, ubi a Cosma Duce cum ingenti pompa exceptus, multa de Henrici II. Amicitia jactitabat, ac pollicebatur, dummodo ejus partibus palam accedere vellet: verum Cosmas præter ambigua verba haud amplius Cardinali sponndit, eum tamen æque, ac ceteros Gallos perbenigne habuit, ut saltem ficta hac benevolentia provide mala, ac pericula, quæ ditionis suæ finibus a Gallis forte victoribus imminebant, tantisper declinaret, donec Cæsar, cujus auxilium ipsi erat necessarium, versis in Italiam armis suas ad propulsandum communem hostem vires conjunxisset.

Sæcul. XVI.
A.C 1552.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

§. CXIII.

*Galli unice per Gonzagæ socordiam
in Pedemontio victores.*

EO tempore Cæsaris res in Italia ob Ferdinandi Gonzagæ negligentiam plurimum declinare cæperant, huic igitur malo ut remedium afferret Carolus, ex Neapolis Regno Petrum Consalvum evocaverat, ejusque consilio in omnibus negotiis uti Gonzagam jussit: verum hic auctoritatem suam hac ratione imminutam indignatus, adhuc segnius cuncta administrabat, hinc ex mutua hac æmulatione factum, ut Galli, qui jamjam munitissima S. Martini, ac S. Bolengi oppida, & Pontium urbem occupaverant, latius in regionem penetrarent; quippe Briffacus cum sex peditum millibus, ac septingentis equitibus Cerium usque Pedemontii urbem procefferat: interea vero Volpianum, cui Sabellius præerat, obsidebatur: Galli equidem duntaxat Cavam urbem occupare poterant, ea tamen capta Cæsareos commercio, atque omni ad Savonam, aliaque loca ab illis occupata aditu intercludere valebant, hinc Gonzaga indignatione, ac pudore plenus quinque Germanorum, ac duo Hispanorum millia præter mille Italos, ac totidem equites in aciem eduxit, ut

ut Gallos ad solvendam Volpiani ob-
 sionem compelleret. Valuit successus,
 unde de Casolio pariter oppugnando con-
 filium iniit, verum Blasius Monlucius
 Gubernator hanc urbem tam invicta a-
 nimi fortitudine tuebatur, ut Gonzaga
 recedere cogeretur: sub idem porro
 tempus Galli Verucam, & Albam
 Pompejam armis suis subiiciebant, cap-
 taque posteriori hac urbe, quam Bon-
 nivetus propugnauerat, Cæsareis ma-
 gnam inferebant molestiam, quapropter
 Gonzaga illam recuperare molieba-
 tur, cum vero eam magis, quam spe-
 raverat, munitam experiretur, potius
 S. Damiani oppidum obsidere statuit,
 quamvis decimo septimo die ob hiemis
 asperitatem, atque adversam tempesta-
 tem de solvenda obsidione ageret. Hic
 itaque erat rerum status tam in Italia,
 quam in Germania toto tempore cur-
 rentis Anni millesimi quingentesimi
 quinquagesimi secundi.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1552.

§. CXIV.

*Turcarum victoriæ, ac progressus in
 Hungaria.*

Nec magis prospera belli fortuna ad-
 spirabat Christianorum rebus in
 Hungaria; quippe Sagedini, quod op-
 pidum est Tibisco fluvio adjacens, A-
 limus

Spond. hoc
 ann. n. 13.
 Th. 1. 9 n 5.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

limus Budæ Gubernator eos ad inter-
 cionem deletit, atque ex captis præ-
 cipuos juxta quorundam relationem
 Constantinopolim eo fine abduci jussit,
 ut quinque mille nasos Christianorum
 cadaveribus abscissos unacum quadra-
 ginta vexillis tanquam certum insignis
 victoriæ testimonium eo deferrent. Dein
 idem Bellidux occupato Vesperinio præ-
 fidarios milites partim trucidari, par-
 tim catenis onustos in captivitatem ab-
 strahi præcepit: cum vero Mahometes,
 & Achmetes Bassæ cum numerosissimis
 copiis accurrerent, proin Alimi po-
 tentia plurimum augetur, Temesva-
 riam urbem, & arcem inter Lippam, &
 Belgradum ad transylvaniæ fines sitam
 post longam, ac validissimam op-
 pugnationem deditio cepit. Paulo
 post ob Bernardi de Aldana Præfecti fo-
 cordiam Lippa quoque Turcarum po-
 tentiæ cessit unacum Solmocio, arce
 quadam satis vicina, quæ situs sui op-
 portunitate facile Turcarum impetus e-
 ludere potuisset, a præfidiariis tamen
 terrore affectis turpiter deserta fuit: æ-
 missa igitur Temesvaria, & Lippa Ca-
 staldus, qui Ferdinandi copiis præerat,
 Segeswariam inter, & Mediesum ca-
 stra locare statuit, ut Mahometi in Tran-
 sylvaniam irrumpendi opportunitatem
 occluderet: verum dum Achmetes Bu-
 dæ

dæ Præfectus die vigesima Augusti quindecim equitum millia in Turcarum oppem adduxerat, Cæsarei profligati fuerè, Pallavicino capto, atque Budam abducto, ubi nonnisi persoluto quindécim aureorum millium lytro libertatem suam redimere cogebatur. Denique Mahometes continuato victoriarum cursu Solnocum a præsiidiariis invito Gubernatore derelictum occupavit, suaque castra Agriam versus promovit.

Sæc XVI.
A.C. 1552.

§. CXV.

Mauritius Saxoniae Elector cum suis copiis in Hungariam profectus.

Interea Mauritius Saxoniae Elector, pace cum Cæsare inita Donawertam delatus ibidem die vigesima tertia Augusti pedites suos in Hungariam secundo flumine devehendos imposuit, equitatu terra subsequi jussu: ipse vero rebus suis prospecturus in Saxoniam prompto itinere contendit, mox autem cum sexdecim peditum, ac quinque equitum millibus inde reversus, sese in Hungaria Ferdinandi copiis jungere parabat. Vix Mauritius advenerat, cum illico fama spargeretur, quod Strigonium obsessurus venisset: itaque Budensis Bassa seu Præfectus licet inferior viribus, conatus ejus impedire haud posset, ultro

Chalcond.
hist. Turc.
l. 14. p. 606.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

tro tamen obviam progreditur; eodemque tempore Mahometes ad obsidionem Agriæ cum toto exercitu, qui numerabat septuaginta peditum millia, sese accingit. Hoc oppidum, quod Germani *Eger*, Hungari vero *Erlaw* vocant, in superiori Hungaria ejusdem nominis fluvio adjacet, ac tribus milliariibus a Tibisco flumine in Barzodiensi Comitatu dissitum est, atque in eo etiam quidam Episcopus, qui Strigoniensis Suffraganeus est, sedem suam habet, ceterum hæc urbs nec arte, nec natura factis munita est, in ea tamen arx muro antiquo cincta, & turribus tantum aliquot erat firmata, sine ullis prominentibus propugnaculis licet ab una parte collem proxime imminem habeat. Porro loci infirmitatem prædiariorum virtus compensabat, nam ibi erant bis mille Hungari, & in iis sexaginta ex primaria nobilitate, qui uxores, liberosque cum omni suppellectili ad eam arcem comportaverant, fide ab omnibus religiose interposita, se nunquam de ditione acturos sed extrema quæque passuros, & si victus deficeret, vel cadaveribus vitam potius sustentaturos, quam commissuros, ut cum perfido hoste paciscerentur, aut eidem urbem traderent.

§. CXVI.

§. CXVI.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

*Turcarum apparatus ad Agricæ urbis
obsidionem.*

Cum incolæ a Mahomete deditionem
facere per tubicinem juberentur,
nutu, non voce responderunt, & ere-
cto in muri pinnis feretro, quid suæ vo-
luntatis esset, tubicini ostendunt, atque
declarant, se sepulcrum electuros po-
tius, quam deditionem facturos.

*Chalcond.l.c.**Thu.hist.l.10**Sambuc.in**append.ad**Bonf.Natal.**l.5. & 6.**Isthuanff.l.**17. & 18.*

A Turcis igitur dispositis ad majoris
templi partem viginti quinque belli tor-
mentis, & totidem ad illam, qua col-
lis impendet, totis quadraginta diebus
verberatio continuatur, summaque mu-
ri, & turrium dejecta parte præfidiarii
nequaquam animo consternati erant,
sed stationibus sæpius renovatis, du-
ctoque interius profundo aggere fortiter
se defendebant: cumque una die hostis
ter impetum totis viribus fecisset, ter
repulsus est; nec validis hisce Turcarum
insultibus civium animus frangebatur,
quapropter Mahometes infracta obsessio-
rum fortitudine concitatus urbem omni
ex parte admotis scalis oppugnare im-
perat: verum aucto Turcarum impetu
Hungarorum quoque virtus crescere vi-
debatur, quinimo ipsæ etiam mulieres
nullo pacto masculorum fortitudini ce-
dentes, tam stupenda magnanimitatis

F f 5

spe-

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

specimina edebant, ut magis heroica ab imbecilli earum sexu nullo unquam tempore expectari potuissent.

§. CXVII.

Turcæ obsidionem Agricæ solvere compulsi.

Chalcon. p.

Turcæ adeo insolita Hungarorum constantia perterriti, ac aliunde lue per exercitum grassante viribus admodum exhausti die decima octava Octobris obsidionem solverunt, & Achmetes quidem Budam, Mahometes vero Belgradum, seu Albam Græcam cum exercitu secessit; Præsidarii Acrienses comperta Turcarum fuga sedulas vigilias agebant, veriti, ne quoddam stratagema lateret: cum vero obsidionem penitus solutam cernerent, circiter duo præsidiariorum millia erumpunt, totoque impetu in postremam Turcarum aciem solutis ordinibus fugientem irruunt, atque opima præda onusti ad urbem revertuntur: ceterum cum Hungarici Regni Proceres rebus suis pacem cum Solimano magis proficuum fore crederent, datis ad Ferdinandum literis rogarunt, ut ipsis de concordie pactis agere liceret: Annuente igitur Ferdinando hanc in rem Legati deputantur plena facultate instructi, qui erant Antonius

nius Verancius Agriensis Episcopus , Sæc. XVI.
Franciscus Zaia Christianæ classis ad A.C. 1552.
Danubium Præfectus Vir iniquarum pe-
nitia , ac longa rerum experientia lon-
ge clarissimus.

§. CXVIII.

*Pax inter Ferdinandum Hungariæ
Regem & Solimanum.*

Hungari prosperum pacis exitum spe-
rabant opera Halis Turcici cubicu-
larii , qui Solimani jussu in Daciam
Transalpinam venerat , ut Transylva-
niæ Despotam cum rebellibus populis
componeret: igitur eadem proponun-
tur conditiones , quæ a Joanne Rege
olim acceptabantur , nec non idem
promittebatur tributum , quod ab eo
tum pendebatur , ad obtinendas tamen
æquiores , magisque honestas conditio-
nes , a Ferdinando Rege additum , ut
Vesprimium , Drigalis , Bujacum , Lip-
pa , Temesvaria , & Zalnocum redde-
rentur. Hæc a Regni Proceribus inter
Solimanum & Romanorum Regem acta
fuere , non nominatis Ferdinando , aut
Castaldo , eo quod id illi minime ad
dignitatem suam pertinere existimarent.
Firmatis hisce pactis Solimani Orator
pluribus Christianis jure belli captis ul-
tro libertatem restituit, quamvis antea
nec

*Chalcond. p.
630.
Tuv. l. 10.*

Sæcul. XVI. nec litro, nec commutatione aliorum,
A.C. 1552. quos Ferdinandus in sua potestate ha-
 buerat, redimi potuerint.

§. CXIX.

*Ferdinandus ob Martinusii cædem a-
 nathemate a Papa percussus.*

Thuan. l. 10. Sinistri ejusmodi armorum Successus
Kayn. hoc comprobare videbantur veritatem il-
ann. n. 45. lius præfagii, quo ex tragica Martinu-
Et seq. siii Cardinalis nece nonnisi novi in Regno
 tumultus exoritur prædicebantur: cum
 autem summus Pontifex judicii acta ob
 præfati Cardinalis cædem instructa tan-
 dem finiri peteret, justa indignatione
 accensus sanctiorem Patrum Senatum
 coegit, totamque rei seriem maturius
 discuti jussit, & quamvis de Austriacæ
 Domus honore ageretur, hoc tamen
 facinus adeo atrox videbatur, ut nihil
 suum æquæ ultionis propositum retar-
 dare posset: igitur præprimis Ferdinan-
 do diem dicebat, ut Romæ suam causam
 defenderet: porro cum tam Romanorum
 Regis, quam Cæsaris Fratris
 sui Oratores causam vehementer, fru-
 stra tamen urgerent, Julius Papa eis
 „hæc reposuit, si Martinusius Vir fuit tot
 „sceleribus obnoxius, quare illum ad
 „purpuram promoveri rogastis? cur
 „Sacrum Collegium in ejus favorem
 „tam

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

„tam importunis precibus sollicitastis, re-
„umque tanquam Virum meritorum e-
„minencia, animi magnitudine & probatæ
„virtutis laude celeberrimum deprædi-
„castis, nec non ejus obsequia veluti
„Christianæ Reipublicæ summopere ne-
„cessaria extulistis? quapropter Ponti-
fex nulla habita precum ratione, serva-
tis omnibus juxta legum præscripta ne-
cessariis solemnitatibus in Ferdinandum,
hujusque cædis Auctores, fautores, ac
socios excommunicationem, ut vocant,
majorem fulminabat, edito hanc in rem
diplomate Mense Aprili, jussuque Pon-
tificis hæc sententia fuit typis impressa,
ut apud omnes Christianos promulgata
affigeretur. (*)

§. CXX.

*Hujus sententiæ dilatio a Cæsare Ro-
mæ impetrata.*

Hæc sententia cum Carolum V. valde *Raynald. l.*
affligeret, acrius apud Pontificem *c. n. 5.*
instabat, ut saltem hujus anathematis
exe-

(*) Ferdinandi vindiciæ legi possunt apud
Odoricum Raynaldum loc. cit. & Nicolaum
Palmæum in actis Concilii Tridentini fol mihi
283. vide quoque Petri de Reva centuriam VI. a-
pud Schwandtnerum t. 2. de Scriptoribus rerum
Hungaricarum fol. mihi 730. 734. & seq.

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

executio præpediretur: præcipue vero Castaldus, quem sacra hæc fulmina, tanquam præcipuum violentæ hujus cædis Auctorem præprimis feriebant, hac excommunicatione non tam terri- tus, quam exacerbatus ad Ascanium Centorium die vigesima secunda Julii hanc in rem literas dedit, questus, quod ipse, cum bello contra Turcas pro Religionis salute suscepto vitam suam mille periculis omni ferme die exposuis- set, hosque infideles, necnon Molda- vos, & Tartaros in fugam egisset, nunc a Papa tanquam sceleratus haberetur, ac censuris gravaretur. Postea demortui Cardinalis famam convitiis laceffens, eundem potius infidelem Cerberum, quam Christianum appellat, eumque Turcas in Hungariam evocasse insimu- lat. Porro Imperator sua auctoritate, atque conceptæ indignationis metu tan- tum Romæ impetravit, ut sententiæ latæ promulgatio differretur, donec plenior de rei veritate quæstio habita esset: Ferdinandus tamen ne Papam magis irritaret, se tanquam anathema- te perculsum gerebat, atque ab Eccle- siæ ingressu, necnon Sacramentorum communionem abstinerebat. Ceterum hujus censuræ vis haud diu perdurabat; quip- pe totum hoc negotium quatuor Cardi- nalibus committebatur, qui rem ma- turius

J. Blanus
24

turius discutere, ac contra reos denuo testes excipere jubebantur.

Sæcul XVI.

A.C. 1552.

§. CXXI.

*Julii mandatum de Martinusii bonis
ærarario Pontificis addicendis.*

Hi Cardinales accepto negotio rem tanta moderatione pertractare nitebantur, ut Domum Austriacam, cujus honorem illæsum servare satagebant, minime irritarent. Ut ergo eorum proposito prosper arrideret successus, nihil magis expedire videbatur, quam si ad ipsum delicti locum Deputati mitterentur, qui plenam rei gestæ notitiam haurirent, testesque exciperent: verum cum suspicio esset, quod hic Cardinalis potius pecuniæ, ac suppellestilis suæ deprædandæ studio, quam prodicionis causa fuisset trucidatus, atque aliunde nullis confectis testamenti tabulis decessisset, hinc præceperat summus Pontifex, ut defuncti Cardinalis Thesauri, qui decies centena aureorum millia excedere credebantur, ærarario Pontificis addicerentur, donec plene de causa cognosceretur: Cum vero Ferdinandus Pontifici exposuisset, quod relicta Cardinalis bona fuerint longe tenuiora, quam vulgus sparsisset, eorumque pars quædam ab aliis direpta, alia vero ad

ex

Sæcul. XVI. exercitum per aliquot Menses contra
A.C. 1552. Turcas alendum fuerit impensa, hinc
 summus Pontifex nihil amplius hac su-
 per re moverat.

§. CXXII.

Deputati Viennam missi, ac muneribus, promissisque corrupti.

Postea Ferdinandus, ac Maximilianus
 ejus Filius Deputatos Viennam de-
 cretos honorificentissime excipiebant,
 & quamvis Julius III. ab Albæ Julien-
 sis Episcopi Vicario Generali, aliisque
 etiam allatis testimoniis certior fieret,
 quod Martinus nullius gravioris cul-
 pæ reus, nonnisi per ambitionem, Do-
 musque Austriacæ avaritiam trucidatus
 fuisset, Viennæ tamen omnium studia
 eo erant intenta, ut ejusmodi testimo-
 nia contrariis testibus eluderentur, con-
 niventibus Deputatis, qui muneribus,
 promissisque corrumpebantur (*) præ-
 primis

(*) Nunc iterum Continuator noster am-
 plum mentiendi, atque in Augustissimam Do-
 mum convitia evomendi occasionem nactus
 est: cur autem nullum testem allegat? quis
 injuriosa proferenti, & nihil probanti Histori-
 co fidem adhibebit: ast nihil refert, Continua-
 tor enim, cum de labefactanda, vel Pontifi-
 cum,

primis vero Castaldus duos produxit testes Emericum, & Adamum defuncti Cardinalis Amanuenses auro corruptos (*) qui, cum separatim de Domini sui gestis interrogarentur, tam diversa, tamque sibi pugnancia proferebant testimonia, ut ea potius præclari hujus Viri probitatem, hostiumque suorum malitiam testatam facerent. Ita ipsemet censebat summus Pontifex.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CXXIII.

Ferdinandus, ejusque socii a Cardinalis cæde absoluti.

Cum autem, ne Cæsar magis irritaretur

cum, vel Austriacæ domus gloria agitur, Machiavellum sequitur dicentem: *audacter detrahe, semper aliquid adhæret.* Equidem antea Raynaldum citabat, & Thuanum: verum ille de omnibus hisce calumniis altum tenet silentium, hic vero etsi Scriptor Gallus, atque Austriacæ Domui parum propensus, longe tamen modestiori calamo utitur: Itaque prudens Lector in relatione totius hujus Historiæ noto illi insistat principio, multa livide dicenti, & nihil probanti, nihil etiam credendum. Consultatur Ciaconius in vitis Pontificum tom. 3. pag. 761.

(*) Thuanus dicit, pretio, ut creditur, corruptos.

Hist. Eccles. Tom. XLI.

G g

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

retur, provide cavendum esset, hinc rem diffimulare placuit, ac Pontifex alteram pronuntiavit sententiam, qua Ferdinandum, ejusque Socios a censuris solutos, atque ab anathemate exemptos declarat, addita tamen hac conditione, *si testimonia Viennæ in medium adducta veritate nitantur.* Verum hæc ipsa clausula totum evertibat negotium; cum enim omnino certum esset, quod testimonia Viennæ producta fuerint falsa (*) censura eandem adhuc vim, quam antea habuit, retinebat, cum anathema nonnisi sub conditione, quæ tamen non exstabat, fuisset sublatum. Hoc idem Ferdinandi Oratores probe perspexerant, ut ergo remedium afferrent, rur-

(*) Hucusque Scriptorum nullus fuit repertus, qui hæc testimonia omnino accerto falsa fuisse comprobasset, exstant Ferdinandi vindiciæ, desiderantur autem argumenta, quibus eæ solide impugnentur; nec Thuanus quoque de falsitate omnino certa horum testimoniorum testem agere ausus est, unice hæc subjungens: *cum autem legati hujus clausulæ adjunctione testimonia facti insimulari, Et Ferdinandi fidem, atque innocentiam in dubium vocari dicerent, tandem impetratum, ut pure sententia ferretur, atque Viennæ mox publicata, Ferdinandus, ac reliqui conjurati sacris restituti sunt.*

sus Pontificem summis precibus fatigabant, ut hanc quoque conditionem superprimeret. Id quoque eorum precibus datum, moxque clausula hac sublata absque ulla restrictione sententia Viennæ fuit promulgata: proin Ferdinandus, ceterique hujus cædis conscii ad pristinum statum restituebantur, quamvis in Hungaria, & Romæ, aliisque locis passim hæc sententia potius pro factæ gratiæ diplomate, quam justitiæ testimonio haberetur, atque Cardinalem injuste occisum fuisse non ambigeretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CXXIV.

Lutheri sectam profitendi libertas ab Hungariæ Regina concessa.

Sub idem ferme tempus Elisabetha Hungariæ Regina perniciosis Petrovitii consiliis seducta Lutheri sectatoribus favebat, cum enim hic novæ hujus sectæ studiosissimus plurimum gratia apud Reginam valeret, eo illam inducebat, ut edicto Tordæ promulgato Lutheri hæresin profitendi libertatem permetteret omnibus incolis Transilvaniæ, quæ provincia non ita pridem hujus Reginæ, ac Joannis Regis imperio reddita fuit. Hæc indulgentia ingentes prorsus calamitates in Hungaria suscitabat; quippe vilipendebantur Episcopi, bonis suis Ecclesia-

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

clericali spoliabantur, suis Ecclesiis Clerici, suisque Monasteriis eiciebantur Monachi, tandemque Lutheranorum crudelitas eo processit, ut ipsemet Solimanus, quamvis a vera fide longe alienus esset, plurimum tamen inde offenderetur, atque ad gravem iram concitaretur: quapropter datis ad Reginam literis illam admonuit, ne suam Religionem ejusmodi novitatibus contaminari pateretur, cum ex illis nil nisi suæ vitæ jacturam, ac Regni exitium pertimescere possit; potius ergo seriatim ponderaret tot homicidia, seditiones, ac bella civilia, quæ per insensatam, novamque hanc Lutheri pestem in Germania fuerunt suscitata: si igitur hisce novitatibus obicem ponere, ac suorum Majorum Religionem revocare negligeret, se deinceps Turcici Imperii præsidio privatam, ipsique tanquam hosti bellum ab Ottomanis nuntiari sciret. Regina hisce minis perterrita, cum illarum executionem pertimesceret, ad procurandam utilitatem suam consilium cepit, quod ut manifestaret, adstringi haud potuit, Tordanum tamen edictum revocavit, atque aliud eisdem oppositum promulgavit. Verum jam potissima mala ex priori edicto erant inuenta, alterum vero segniter prorsus executioni dabatur.

§. CXXV.

§. CXXV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

Tumultus in Polonia ob hæresin suscitati.

Pariter Lutheri hæresis in Polonia plurimum invalescebat, passimque Sacerdotes sacrilega inibant connubia, plebs vero sub duplici specie Synaxin sumebat, adeo, ut in comitiis Petricoviensibus nonnulli Proceres hosce duos articulos edito decreto stabiliri postularent. Verum Poloniæ Rex, cum regnum suum ab hæreticis tam misere dilcindi deploraret, nullum non movit lapidem, ut ejusmodi novitates reprimeret, atque ea, quæ in Concilio Tridentino tunc nondum interrupto definita erant, servari juberet. Ipse etiam summus Pontifex Regem vehementer hortabatur, ut ad sedandos hosce tumultus omnes vires suas, auctoritatemque impenderet. Eam in rem Papa die vigesima octava Januarii unum diploma ad Regem, alterum vero ad Episcopum Cracoviensem, & tertium ad Regni Ordines Petricoviæ congregatos transmissit. Attamen hæresis altiores ibidem radices potissimum eo ex capite egerat, quod inter Episcopos, ac Proceres altercatio fuisset exorta, cujus occasionem dabat quidam Kioviensis Canonicus nomine Stanislaus, qui ob incæ-

Raynald.
hoc ann. n. 53.
Neugebau.
lib. 8.
Flor. Ræm.
de Orig. hæ-
res. l. 4. c. 8.
9. & 10.

G g 3

stas

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

stas nuptias a suo Episcopo Sacris interdicitus fuerat, quamvis alias a fide Catholica minime defecisset: cum autem insuper alii Nobiles de hæresi accusarentur, Proceres sese ab Episcopali jurisdictione eximere moliebantur, causati, quod exclusis Episcopis hæresis cognitio soli Regi competeret: (*) porro cum Rex in favorem Præsulum sententiam in pleno Senatu pronuntiasset, hinc Proceres tam insano furore agitari cœperant, ut ab illo temporis momento Ecclesiasticos divexare non desisterent, unde factum, ut Episcopis mandata Regis exequi præpeditis, hæresis hujus dissensionis beneficio sese latius

(*) En! qua ratione hæresi plana sternatur via, quoties potestatis Ecclesiasticæ iura Viris profanis adjudicantur ab iis, qui, ut Principibus placeant, sacra profanis miscere non erubescunt. Ejusmodi vero adulatoribus Sigismundus II. Poloniæ Rex aures præbere renuit, hinc quondam a Regni Ordinibus, ac Senatoribus comitia Warsoviæ celebrantibus, ut de religionis negotio cognosceret, rogatus, non minus pie, quam prudenter respondit: Rex ego sum, non Pastor Ecclesiæ, tantumque abest, ut meum his de rebus velim imponere iudicium, ut etiam Præsulum Ecclesiæ iudicio me submittere paratus sim.

tius diffunderet, ac nonnisi veritatis, ac charitatis dispendio sese stabiliret.

Sæcul. XVI.
C.A. 1552.

§. CXXXVI.

Joachimi Westphali liber adversus Sacramentarios.

Ceterum in Germania novæ hæresis Sectatores non minus inter se, quam cum Catholicis dissensere, litis occasionem præbentibus Osiandro, Stancaro, aliisque Sacramentariis, adversus quos Joachimus Westphalus Hamburgensis Præco Lutheri secta infectus calamum strinxit; nam hoc anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo edidit librum latino sermone conscriptum, in quo omnes confusas, atque inter se pugnantes opiniones circa Cænam Domini ex Sacramentariorum libris decerptas collegit, eorumque blasphemias, & errores, *ut potius Magistratus scepro, quam stylo refutentur*, dignos esse ostendit, ac præcipue impugnavit Calvinum, eoquod ille, ut inquiebat, se cum Tigurinis circa Cænam sentire simularet. Hoc Joachimi libro rursus contra Sacramentarios belli flammæ accendebantur, quæ a Lutheri obitu vix non extinctæ videbantur: Ut vero penitus hujus dissensionis origo inspiciatur, jam alibi dicta omnino in memoriam revocanda

Raynald. l.c.
n. 56.
Surius ad hunc ann.



Sæc. XVI.
A.C. 1552.

canda veniunt: notum enim est omnibus, quod Tigurini Pastores, & Calvinus, cum antea circa Eucharistiæ doctrinam inter se dissentirent, tandem Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo nono concordiam inierint, edito pacis libello, qui viginti sex articulos complectens ita inscribatur:

Consensio mutua in re Sacramentaria.

Hæc concordia offendebat Lutheri Sectatores, quos *rigidiores* vocant, quapropter variis libellis hanc pacem impugnabant, unde occasione inde nata Westphalus quoque suum librum, cuius modo meminimus, edidit, eique hunc titulum præfixit: *Farrago confusarum, & inter se dissidentium opinionum de Cæna Domini ex Sacramentariorum libris congesta.*

Hunc librum Calvinus, ut confutaret, suarum partium esse ratus, Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto libellum vulgavit, in quo Westphalum, suppresso tamen ejus nomine, duris admodum verbis exceptit, evoluto autem biennio hoc adversarii sui responsum longe minori usus moderatione refellebat, & demum Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo libro recens edito eundem adhucdum acrius laceſſebat, atque in utroque libro hostis nomen prodebat, porro

porro post hæc illum absque responso dimittebat. Ceterum posterioris libri titulus notatu dignus est; ita enim sonat: *Ultima admonitio Joannis Calvini ad Joachimum Westphalum: cui nisi obtemperet, eo loco postea habendus erit, quo pertinaces hæreticos habendos jubet Paulus.*

(*) Hanc altercationem postea Beza cum ingenti animorum contentione prosequabatur, quin obmutesceret Westphalus, qui tam Calvinum, quam Bezam suis scriptis confutabat, ac præter alia opera elucubrabat quasdam de perniciosa Religionis mutatione, necnon de Confessione Ecclesiarum Saxonicarum epistolas una cum quodam scripto, quo probra, ac Calvinum maledicta confutat. Scripsit etiam præter alia differtationes de operibus, & tandem obiit Hamburgi Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

G g 5 §. CXXVII.

(*) Ad hoc Spondanus hoc anno num. 18. addit: *Quid arrogantius? si quid tale Romanus Pontifex in aliquem ex istis segregibus protulisset, Antichristus esset: Calvinus cum in unum ex Symmystis, Angelus censebitur.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Theod. Beza
in vit. Calv.
hoc ann.

§. CXXVII.

Calvinus Genevæ exagitatus.

Nec majori, quam ceteri tranquillitate Calvinus Genevæ potiebatur; nondum enim altercatio, qua anno prior cum Bolseco conflictabatur, erat penitus sopita, nam identidem plures novi adversus eum adversarii insurgebant; cum enim quæstio, quæ litis occasio erat, plurimum perplexa esset, difficultates ibidem contentæ curiositate plurimorum excitabant, qui illud systema impugnare unice intenti erant; quapropter hac super re non modo in urbe, sed in omnibus quoque Provinciis disceptationes audiebantur, & quivis juxta animi sui propensionem huic, vel illi parti adhærebat. Quinimo non deerant ex Bernensibus Ministellis nonnulli, qui in Calvinum judicii acta instrui petebant, eo quod Deum peccati Auctorem dixisset, quem errorem eidem jam antea Bolsecus objectabat, nec minus ipse etiam Castalion Basileæ clam Calvinum impugnabat, nec etiam Catholici calamos suos adversus hunc Hæresiarcham stringere intermittebant.

§. CXXVIII.

*Franciscus Xaverius ad regnum Bur-
gi delatus.*

Curr

Cum interea hæresis totam ferme Europam tumultibus repletet, Franciscus Xaverius Ecclesiam Christi ad remotissimas usque plagas extendere adlaborabat, cumque nonnisi duobus millibus a Bungi portu, ad quem illius conditionis Rex eum summis precibus invitaverat, absens esset, Stephanus (*) Gama Lusitanæ navis Navarchus eidem obviam procedit, cum vero eundem pedibus euntem, ac sacræ supellectilis sarcina onustum offendit, ei confestim equum offert, atque ambo comitantibus eos pluribus Lusitanis ad portum perveniunt, ubi Xaverius festiva omnium bombardarum explosione salutabatur, quinimo ipsemet Rex ejus adventum edoctus quantocius quemdam e suis Proceribus sibi sanguine junctum obviam misit unacum literis, quibus Rex suam erga Xaverium benevolentiam amplissimis verbis testatus eundem rogabat, ut altera die ipsum inviseret; haud obscuris enim signis monstrabat Rex, quod veræ fidei præceptis imbui desideret.

§. CXXIX.

(*) Turfelinus, & Orlandinus hunc Navarchum vocatum fuisse Oduardum testantur.

Sæcul. XVI.

A. C. 1552.

Turfelin in vita Xav.

l. 4. c. 9.

Mass. hist.

l. 5.

Orland. hist.

Soc. l. II. n.

116.

Sæc. XVI.

A.C. 1552.

§. CXXIX.

*Xaverius ab illius regionis Rege per-
honorifice exceptus.*

Turfelin. l.

c. c. I & II.

Orland. n.

114.

Acceptis hisce literis Lusitani habito consilio deliberabant, quo demum apparatu instructus Xaverius altera die Regis conspectum subiret? hi itaque religionem innato fastui suo accommodare intenti, Virum Sanctum cum insigni prorsus pompa coram Rege comparere cogebant, ut eo facilius, inquirebant ipsi, Bonziorum, qui Xaverium tanquam hominem miserum, atque ob paupertatem exosum abhorruissent, calumniis obviam iretur: Igitur juxta horum consilium, quale primi Apostoli certo nec dedissent, nec secuti fuissent, (*) Lusitani pretiosissimam pro se quique

(*) Quod primi Apostoli vestes suas cum splendido ornatu haud commutarint, certum est, an autem in exteras Regiones missi, si se haud aliter, quam pretiosa veste indutos Evangelium annuntiare posse certo scivissent, ejusmodi consilium non fuissent secuti, tanquam rem certam præter Continuatore[m] nemo definire audebit. An non etiam utilite, imo & necessarium pro diversa temporum, ac Regionum ratione sit quandoque in prædicanda fide
exter.

que vestem indutus cum Xaverio ad urbem Regiam insigni prorsus apparatu pergunt. Vehebant illos parva navigia sericis ornata velis, præclarisque vexillis insignia, & resonabant ubique tubæ, nec minus aderat Procerum unus a Rege missus unacum lectica, qua Xaverius ad aulam usque portaretur. Ast ille pedibus ad Regiam pervenire voluit, eumque adventantem Bungi Rex excepit pompa, quæ magnifico Xaverii comitatu, nec non sublimi, quam de eo

Sæc. XVI.

A.C. 1552.

con-

externa alia œconomia uti, Continuator melius decidere poterit, considerans, quod suo adhuc tempore, ac in sua Patria Viri Apostolici ob nudos pedes, pannosas vestes, & paupertatem tanquam sordidi, ac Principum accessu indigni plerumque vilipendantur: Si autem genuine ex Turfelino, & Orlandino hanc Historiam retulisset, nec Lusitanos, quod hoc consilium dederint, nec Xaverium, quod illud secutus fuerit, carpenti occasionem habuisset, nam hic rem ita narrat: *admirari Rex vehementer cœperat, nec sibi persuadere poterat pannofo homini, atque mendico (talem enim ei descripserat rumor) tantum honoris a Lusitanis haberi: studuerant quippe Bonzii ejus apud Regem, ac populum nomen, ne Bungi similiter, ut Amangucii, Bonzio nomini officeret, impudentissimis mendaciis, & obtrectationibus obscura-*

scura-

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

conceperat, existimationi consona erat
mox etiam omnes aulæ Proceres pro
more gentis hujus solemni obsequio Xa-
verium salutabant, imo referunt non-
nulli, quod Regius quidam non nisi
septem annorum, sed raræ indolis puer
eundem eleganti prorsus oratione hono-
raverit, ac postea supra ætatem de re-
bus gravissimis cum eo differuerit. Tan-
dem ad Regis cubile deducebatur Xa-
verius, ubi Rex procumbentem de mo-
re

*scurare, famamque omnem ejus Sanctitatis ob-
terere, sed eorum mox fraudes aspectus ipse Xa-
verii, in quo Sanctimonix quidam splendor, ac
dignitas elucebat, vulgo omnibus patefecit. Rex
illum per adolescentem propinquum suum, tri-
ginta nobilibus viris, Et morum Magistro co-
mitatum cum literis non minus reverenter, quam
amice scriptis, in insequentem diem invitavit,
quem ut regius adolescens aspexit nullo vestim-
nitore conspicuum, oris tamen habitu venerabi-
lem, summoque in honore apud Lusitanos, ob-
stupuit, redditisque a Rege literis ad magistrum
suum in digressu conversus, præstantissimum,
inquit, necesse est esse hujus gentis Deum, qui
Lusitanas naves pauperrimo parere homini velit,
tantoque bombardarum strepitu declarari, quæ-
ti sit apud Superos, pene cunctis invisa mortu-
libus, paupertas.*

Tur-

re ad genua confestim elevat, vicissim-
 que Xaverium ter more patrio inclina-
 tis cervicibus veneratus pari in strato,
 fedequae collocat. Fremebant Bonzii
 ob tantos honores Xaverio exhibitos,
 quapropter eundem opprimere totis vi-
 ribus adlaborabant: verum Vir sanctus
 illorum audaciam frangebatur, præfente
 Rege, qui Xaverium protegens Bon-
 zios filere jussit: Præmissa igitur offi-
 ciosa salutatione Rex Xaverium ad pran-
 dium invitabat; ipse vero sese excusans
 ca-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1552.

Turfelinus l. 4. c. 18. causas recenset, ob
 quas hoc consilium necessarium, ac prudens
 videbatur: *Summo omnium inquit ille, con-
 sensu decretum, e re Christiana fore, si prima
 illa Francisci cum Ethnico Rege congressio quan-
 to maximo posset apparatu instructa, aliquam
 majestatis speciem haberet, simul ut Bonziorum
 obtreccionibus, & calumniis obviam iretur,
 ne quid promulgationi Evangelii obstaret: si-
 mul ut Xaverii dignitas superbissimorum ho-
 minum quæsitam mendacis auctoritatem obtere-
 ret: cui enim dubium esse poterat, quin is quan-
 ti a Lusitanis fieri videretur, tantum apud Ja-
 pones esset futurus? Cæterum cunctis Navarcho
 assentientibus, unus Franciscus honoris impatiens,
 & Evangelicæ simplicitatis tenax dissentiebat:
 Verumtamen non tam rationibus, quam Lusita-
 norum consensu victus ad ultimum cessit.*

Sæcul. XVI. capite reverenter inclinato abeundi potestatem sibi fieri postulabat. Annui
A.C. 1552. Rex, enixe eum precatus, ut subinde illum inviseret Christiana mysteria edo-
 cturus.

§. CXXX.

Xaverii labores Apostolici in Bungurbe.

Turfel. c. 12. *Orland. l. II.* *n. 120. & l.* *12. n. 91.* **Q**uadragesima sex dies Xaverius in urbe Regia versatus summa opera in salutem, institutionemque incolarum incumbebat, quin adhuc multum vexaretur a Bonziis, licet cum eis frequenter in arenam descenderet, semperque victor a certamine rediret. Ex his præprimis quemdam inter Japones celeberrimum nomine Saquaggisanum Virum tam eruditione, quam generis nobilitate inclytum ad fidem Catholicam perduxit, ac rationibus convictum eo adegit, ut propalam, quod hucusque in errorum tenebris fuerit versatus, coram Deo fateretur, sibi que ignosci peteret, eo quod toties populo vendidit pro veris, quæ nunc vana esse intelligeret. Verum ex Bonziis ceteri immodica ira furentes Sancti Viri vitæ insidias struere moliebantur, ac suorum Numinum iram, & vindictam populo denuntiantes eo infamiae prorumpabant, ut omnium sanctorum januis tota urbe præclusis cives Sa-
 cris,

cris, eorumque Sacrificiis prohiberent. Sæcul. XVI.
 Verum Xaverius elusis eorum infidiis A. C. 1552.
 vanas ejusmodi minas flocci habebat,
 quin imo Fucarandonus doctrinæ præ-
 stantia inter suos magis excellens Bon-
 zius in quadam disputatione, quæ coram
 Rege habebatur, fidei veritate victus non
 sine ignominia discedere cogebatur, in-
 deque Rex magis adhuc firmabatur in
 pia animi sui propensione, quam jam-
 jam erga fidem Catholicam ex Xaverii
 institutione hauserat, magisque indies
 Christianis favere cæperat, quin ta-
 men adhuc palam se Christi cultorem
 profiteretur, forte suorum Bonziorum,
 qui insanire, ac furere cæperant, timo-
 re absterritus.

§. CXXXI.

*Xaverius in Indias reversus, inde Si-
 nas navigaturus.*

Cum ergo Xaverius in irritam spem Turfel. l. 5.
 tempus teri sentiret, Regem vale- c. 2.
 re jussit, qui rursus suam de Xaverio Raynald. hoc
 existimationem, ac venerationem maxi- ann. n. 59.
 me testatus, eundem pluribus suæ ami- Orland. l.
 citiæ signis cumulabat: cum igitur Fran- 12. n. 84.
 ciscus biennium ferme, sexque Menses
 in Japonia versatus fuisset, Sinas adi-
 re decernit, cum autem haud ignora-
 ret, quod antiquissimis hujus regionis

Hist. Eccles. Tom. XLI.

H h le-

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

legibus peregrini omnes, præter Legatos aditu prohiberentur, ac capitis pena, si quis sine Regis jussu accederet, luere deberet, hinc diu de hujus statuti severitate cogitanti Xaverio illud longe consultissimum occurrit, vi cujus in Indiam reversus cum Prorege, & Goarino Episcopo ageret de legatione ad Sinarum Regem destinanda: ipse vero Legati comes patefacto introitu Evangelii lucem Sinensibus populis in sua cæcitate sepultis inferret: Ergo exeunte Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo conscensa navi, die vigesima quarta Januarii anno sequenti Coccinum pervenit, ubi juvenem Maldivarum Regem ad ejurandam Mahometis superstitionem inducebat, ac vix Goam attingens apud Proregem & Episcopum summis precibus instabat, ut Sinas Legationem decernerent. Annuere ambo, moxque præ ceteris feligebatur Jacobus Pereira, quem ad hoc opus commendabat non modo rara illius probitas, sed arctior etiam amicitia, qua Xaverio junctus erat: insuper idem tanta liberalitate, ac Religionem amplificandi, salutemque animarum procurandi studio eminebat, ut certe hominum expectationem superaret, minime vero Francisci Xaverii spem de eo conceptam falleret; quippe Sa-

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

crum hoc negotium tanto ardore urgebat, ut potissimam suorum bonorum partem in necessariis hujus itineris sumptibus, ac donis impenderet, & Xaverio Pro-Regis, ac Episcopi diplomata, nec non conciliandæ fidei literas, ac munera ad Regem Sinarum deferenda mense nondum evoluto procuraret, hujusque Legationis successum Alvaro Thalaidio Malacensium Gubernatori commendaret. Hanc in rem Xaverius quoque datis ad Lusitanum Regem literis (*) rogabat, quatenus hoc iter gratum, ratumque haberet, ipse vero prius rebus pro domestica Societatis disciplina, ac Indarum Missionum utilitate rite dispositis die decima quinta Aprilis Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Goa profectus mari se commisit, Sinas navigaturus.

§. CXXXII.

Obstacula Sinensi navigationi opposita.

Primis navigationis suæ diebus foeda Turfelin. 1.
exoriebatur tempestas, cujus violentia grave naufragii discrimen carinae, s.c. 6. & 7.
H h 2

(*) Hæ literæ exstant apud Odoricum Raynaldum ad hunc annum num. 60.

Sæcul. XVI. næ, qua vehebatur Xaverius, minitabatur: verum hic sacrarum, quas secum deferebat, reliquiarum thecam funiculo religatam in fluctus deiicit, & ecce! mox venti cadunt, sedatur tempestas, cœloque sua redit serenitas, & tam secundis velis cursus tenetur, ut intra paucos navigationis dies navis Malacam perveniret, ubi Xaverius ingentis lætitiæ signis exceptus, a populo omni obsequiorum genere affectus est. Verum minorem longe benevolentiam experiebatur ab urbis Præfecto, qui, cum Pereiræ pecunias potius sibi mutuas dari, quam pro Apostolica expeditione expendi maluisset, eidem non parum infensus erat, ac propterea etiam Xaverii proposito totis viribus obfistebat, ipsumque Jacobum Pereiram detinuit, quo minus legationem obire posset. Obsecrat, & instat Xaverius, nec tamen illius preces Præfectum flectere, aut ab ipsius sententia dimovere poterant, tandem ergo ad frangendum obstinatum huius Viri animum Goani Proregis diplomata, atque Episcopi literas exhibuit, necnon eidem exposuit, qua submissione Legatum Apostolicum excipere teneretur, quantumve damnum sua pertinacia Evangelii propagationi inferret; cum autem Præfectus adhuc dum surdas præberet aures, Xaverius Joannem

Sæc. XVI.
A C. 1552.

nem Surarium Malacensem Vicarium adiit, eidemque rei gestæ seriem exposuit, precatus, ut hujus negotii curam in se susciperet: Id quoque Xaverii precibus dedit Vicarius, atque Alvarum invicens eundem per Christi Domini viscera obtestabatur, ne sese piis Sancti hujus Viri consiliis opponeret; Insuper, si illius in augenda Religione conatibus obstare pergeret, ex Pontificis auctoritate eidem Ecclesiæ censuras denunciabat, simulque eum hortabatur, ne tam atrox facinus abs dubio severe admodum a Deo vindice plectendum committeret; verum cuncta Xaverii monita in irritum cecidere.

§. CXXXIII.

Malacensis Præfectus ob Evangelii prædicandi facultatem Xaverio denegatam anathemate percussus.

Itaque Xaverius, cum Præfecti obstinationem frangere desperaret, ad anathematis pœnam adigebatur, quam etiam supremus Episcopi Vicarius contra Præfectum, omnesque ejus pertinaciæ fautores, aut criminis socios pronuntiabat: verum nec hæc severitas ampliora, quam prius lenitas, ab obfirmato illius animo extorquere poterat; quippe

Orland. l. 12.
n. 93. & 94.
Turfelin.
l. 5. c. 7.



Sæcul. XVI
A. C. 1552.

pe ægre ab eo impetratum, ut solum Franciscum in Sinas abire pateretur, quo in itinere Vir Apostolicus plurima tolerare cogebatur.

§. CXXXIV.

Xaverius solus in Sinas profectus, atque ad Insulam Sancianum delatus.

*Turfet. c. 8.
Orland. n.
102.*

Postquam Xaverius ad Insulam Sancianum a continenti circiter viginti quinque leucis e regione Cantonensis Provinciæ distitam advenerat, Lusitanorum Mercatorum non pauci comperito Sinensis itineris consilio gravibus omnino verbis Xaverio eadem, quæ jam antea fuere prænuntiata, pericula significabant, dicentes, quod omnes aditus peregrinis penitus, intentatis etiam severissimis pœnis essent occlusi, atque omnino continentem attingere, extero homini nefas esset, nisi speciali Magistratus venia prius obtenta, quæ tamen non nisi ægerrime concederetur. Verum Xaverius hisce Mercatoribus eadem respondit, quæ ad Perezium, seu Petrium Societatis Jesu Sacerdotem, ac Malacensis Colegii Rectorem perscripserat. „Ex speciali, inquit Xaverius, Dei gratia ad arduam vocatum expeditionem, si vero difficultatibus

Sæcul. XVI. A.C. 1552. pulsus ægre evaserat, unde per quin-
 decim dies lecto decumbere coactus,
 nec integræ valetudini restitutus die
 vigesima Novembris vehementioribus
 febris doloribus affligebatur, tumque,
 an a Deo ad Sinensem prædicationem
 fuerit vocatus, dubitare incipiebat,
 quapropter ad navim infirmis destina-
 tam, viribus omnino exhaustus secessit,
 velut mendicus a nautis receptus; quip-
 pe inter pauperes mortem præstolari de-
 creverat. Attamen acutissimis capitis
 doloribus cruciatus, ac insuper extre-
 ma ciborum nausea, & cholericis tor-
 minibus affectus in terram exscendere
 cogebatur, eo quod continua navis a-
 gitatio non parum hosce dolores auge-
 ret: igitur aeris injuriis, expositus ali-
 quamdiu in maris ora jacuit, donec
 tandem Lusitani ceteris magis benefici
 eundem ad suum tugurium deferrent,
 ubi omni ope destitutus per solidos de-
 cem dies jacebat, eum penitus negli-
 gentibus illis, qui etiam eidem pluri-
 mis titulis vel maxime obstricti erant.
 Demum bina vice sibi venam incidi pa-
 tiebatur, id ipsum tamen ob chirurgi
 inscitiam non sine spasms, ac nervorum
 distentione fiebat.

§. CXXXVI.

Sæcul. XVI.
A C. 1552.*Pretiosa Xaverii mors in Insula
Sanciano.*

Cum morbus magis, magisque in-
 gravesceret, haud obscure præsen-
 ferat, quod Deus tandem ejus labori-
 bus finem imponere constituisset, qua-
 propter unice æternitatis meditatione
 mentem suam usque ad vigesimam octa-
 vam Novembris diem occupabat, do-
 nec suæ mentis impos in continua pro-
 laboretur deliria, inter quæ tamen nil
 nisi sermones de Deo, ac Sinensi itine-
 re commiscebat, usque dum ammiserat
 quoque linguæ usum, quem tamen tri-
 duo post unacum pleno sanæ rationis
 exercitio recuperans id potissimum æ-
 gre ferebat, quod naturali morte ex-
 tingeretur in lectulo, martyrii palma
 privatus, paulo post tamen sese totum
 divinæ voluntati committens die secun-
 da Decembris Spiritum suum Dei mani-
 bus reddidit, annos natus circiter qua-
 draginta sex, (*) ex quibus decennium
 sexque menses post suum in Indias ad-
 ventum jamjam expleverat.

H h 5 §. CXXXVII.

(*) Tam Turfelinus, quam Orlandinus tes-
 tantur, quod S. Xaverius decesserit annos
 natus circiter quinquaginta quinque.

*Turfel. c. 11.**Orland 1 12.**n. 109 & 110**Spond. hoc**ann. n. 62.**Raynald. ad**hunc ann.**n. 61. 62.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.

§. CXXXVII.

Sancti Xaverii corpus in portus lit-
tore sepultum.

Turfelin. l. 5. cap. 12. Orland. l. 12. n. 112. lib. 13. n. 85. Vix Xaverius e vivis excefferat, cum illico Antonius, priscus ipsius interpres, qui Francisco ægrotanti semper præsto fuerat, ad navim accurreret, sacram suppellectilem, qua Xaverius ad peragendam rem divinam utebatur, accepturus. Lusitani, qui in navi erant, nuntiato Xaverii obitu, confestim obortis lacrimis crebros edebant gemitus, atque interpretem ad tugurium usque comitantes, defuncto iusta persolvere decernebant: Igitur Francisci corpus Sacerdotali veste indutum, ligneoque loculo inclusum in ipso portus littore sepulturæ mandatur. Porro jam terram injecturi erant Lusitani, cum repente ex adstantibus quidam vivam corpori calcem esse adhibendam proponeret, ut carne celerius exesa deinde ipsius ossa eo facilius in Indiam deferri possent: Itaque aperto loculo magna vis calcis iniicitur, tumuloque prægrandes lapides, tanquam sepulcri indices imponuntur: anno autem sequenti, Mense Februarii ad medium vergente corpus ejus exhumatur, ut illud navi, quæ Pereiram ex Malacensi portu adveheret, impositum in Indias trans-
fer-

ferretur: verum elusa injectæ calcis vi Sæcul XVI.
A.C 1552.
 corpus reperiebatur prorsus integrum, caroque adeo recens, ut spirantis hominis carni haud absimilis esset, imo ipsæ etiam vestes nulla ex parte tabefactæ inveniebantur, & suavem insuper odorem pretiosæ sancti hujus Viri reliquæ spirabant. Rei miraculo ille, qui corpus effodere jubebatur, attonitus corporis integritatem summopere admiratur: ergo, ne vana referre crederetur, veritus tantillum carnis ex inde abscissum ad incorrupti corporis argumentum affert. Extemplo igitur Navarchus, ceterique, qui vel Francisco in ejus necessitatibus præsto erant, vel Gubernatoris iræ inserviendi studio decepti eundem male habebant, una omnes ubertim flere, pectusque tundere, ac Viri Sanctitatem proclamare ceperunt. Postea corpus navi, quod e Sanciano solverat, imponitur, ac secunda navigatione die vigesima secunda Martii Malacam pervenit, ubi Pereira integrum Xaverii Corpus in Ecclesia Beatæ Virginis de Monte deponi jubens, omnia, quæ ad funebrem pompam requirebantur, sedulitate prorsus egregia comparaverat.

§. CXXXVIII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1552.

§. CXXXVIII.

*Solemnis funeris pompa Goæ celebrata.**Turfelin. 2.**15. & 16.**Orland. l. 13.**n. 87. & seq.*

Equidem Sacris hisce exuviis usque ad Mensum Augustum nullo ferme honore parentabatur, donec tandem Joannes Beira Societatis Jesu Sacerdos unacum duobus Sociis Malacam veniret, Sanctique Corpus, quod integrum esse fama acceperat, inspicere perciperet. Ergo nocte intempesta cum Sociis clam Templum ingreditur, sepulcroque patefacto Franciscum velut spirantem mense post obitum nono reperit. Aderat tum Jacobus Pereira, qui unacum reliquis rei miraculo attonitus Sancti corpus ex hoc loco ad sacrum Ecclesiæ vestiarium deferri, novumque loculum ex ligno pretioso confici, illudque panno serico vestiri, ac demum aureis telis ornari curavit: huic igitur arcæ Xaverii corpus profluente sanguine madidum, miramque odoris suavitatem exhalans impositum fuit, ac tamdiu clam custoditum, donec illud Goam transferrendi opportunitas ferret, quod primum anno sequenti millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto contigit, ubi in augustiori sacello Ecclesiæ ad D. Paulum repositum omnibus, quos tum ei deferre licuit, honoribus

ribus colebatur. Accurrebant solemnibus pompis Pro-Rex, Nobiles, Senatores, ac Magistratus unacum toto Clero, omnibusque Mercatoribus, atque opificibus, nec minus postea omnibus ex locis ingens hominum copia advolabat, qui omnes sacras hasce reliquias venerari cupiebant, plurimis miraculis in hac translatione patratis acciti.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CXXXIX.

Archiepiscopus Toletanus antea Societatis hostis, nunc illius fautor.

Sancti hujus Viri obitus Divum Ignatium summo afficiebat dolore, quod non modo illius jacturam Societas, sed ipsa etiam Ecclesia deploraret, præcipue iis temporibus, ubi non pauci non modo in Francia, sed in aliis quoque regnis novo huic instituto sese opponerant. Præprimis Archiepiscopus Toletanus omnes Jesuitas a Complutensi Collegio, quod tamen unicum erat in ejus diœcesi illorum domicilium, exclusit, atque anathematis pœnam vibravit in cunctos, qui suas noxas apud illos expiarent. Parochis quoque, aliisque religiosorum familiis inibuit, ne in suis Ecclesiis cuiquam Societatis Sacerdoti verbum Dei prædicandi, aut rem divinam peragendi copiam darent,

ac

P. Bouhours
viede S. Ignace l. 4. p. 339.

Ordin. his.
Soc. l. 22.
n. 27.
Alcamb.
Hist. P.
trunc. Soc.

Sæcul. XVI. ac denique omnes illos Toletanæ Diœ-
 A C. 1552. cesis Sacerdotes, qui in horum Patrum
 ædibus Divinarum rerum contemplati-
 oni incumbabant, sacris interdixit.
 Cum autem Regius Senatus Papæ literis ad protegendos Jesuitas admoneretur, agendique rationem, qua Archiepiscopus utebatur, damnaret, hinc Præful hosce Patres juribus suis reddidit, mox vero datis ad eundem literis Ignatius grates ei rependit, promisitque, quod imposterum eo invito Complutenses Jesuitæ nullum in ejus Diœcesi ministerium obire vellent.

§. CXL.

*P. Claudius Jajus Societatis Jesu
 Sacerdos mortuus.*

Orland. hist. Soc. l. 12. n. 35. & seq. Alegambe Bibl. Patrum Soc. J. Priusquam nova D. Ignatii Societas Sancti Francisci Xaverii obitum lugeret, die sexta Augusti Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Claudius Jajus natione Sabaudus, ac patria Anneciensis Viennæ obiit. Hic numero septimus a Patre Fabro Parisiis Anno Salutis millesimo quingentesimo trigesimo quinto S. Ignatii Sociis adscriptus, ab eodem postea anno sequenti Venetias deducebatur, & progressu temporis in taenda Religione Catholica apud Italos, Sue-
 vos,

vos, ceterosque Germanos magnopere laborabat, cumque scientiæ fama in- claresceret, non raro Episcopi publicis illius prælectionibus interesse certabant, atque inter eos Georgius Truchsesius Augustanus Præsul eundem seligebat, ut illius vices in Tridentina Synodo obiret. Frequenter etiam eundem Ferdinandus Romanorum Rex, Cæsarisque Frater officiosa honorabat salutatione, illumque primo Tergovistanum, & postea Viennensem Episcopum nominare decreverat: ast Jajus utrumque constanter recusabat. Ceterum Viennensis Academia illum magnis cumulabat honoribus, imo Ingolstadiensis Universitas, ubi Jajus aliquamdiu Theologiam tradiderat, inter cetera suæ gratitudinis specimina eidem perhonorificum elogium, in quo Jesu nomen pro insignibus pictum cernebatur, ponere, atque illud latino sermone conceptum in Scholis affigere curavit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CXLI.

Pontificis consilium de Francisco Borgia purpura decorando.

Eodem tempore D. Ignatio pugnantum erat, ne pariter sibi Pater Franciscus Borgia, alias Gandiæ Dux, diverso licet fato, eriperetur; postquam enim

Borghesi.
Orland. l. 6.
n. 2. & 4. l.
14. n. 81.

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

enim Carolus Imperator compererat, quod Franciscus mutata vitæ ratione Societatem ingressus ibidem solemnibus sponcione totum se Deo sacrasset, raræ sanctimonix fama longe, lateque celebrata Cæsarem impellebat, ut Franciscum purpuram procuraret: unde Iulium III. Papam sollicitabat, ut tam illustri exempli Virum hac dignitate ornaret. Nec id difficile erat Pontifici, qui cum Francisco adhuc Duce anno prioris agens in eandem ipse mentem, sententiamque venerat, quocirca Cæsaris accedente iudicio, ac voluntate Patrem Franciscum Borgiam in proxima Cardinalium creatione ad purpuram evehere constituit. Annuere lætanter cuncti Cardinales, illumque Collegii sui socium habere percupiebant.

§. CXLII.

Francisci promotio per D. Ignatium præpedita.

Bouhours l.
c. p. 342.
P. Verius
vie de S.
Berg. p. 180.

Verum Ignatius re vix comperta quantocius omnem adhibuit conatum, ut sese huic consilio opponeret: præmissis vero ad rem cum Deo transigendam tridui spatium, ac secessum sibi selegerat, suosque, quos Romæ habebat, socios hortatus est, ut & ipsi servidis precibus rem Deo commendarent, &

& quamvis Cæsaris Ministri, ac Bor- Sæcul. XVI.
 gianæ Familiæ Amici vehementer in- A.C. 1552.
 starent, nihilominus Ignatius firmiter
 sibi persuasum habebat, quod Francis-
 cum ad purpuram evehi Divinæ volun-
 tati adversaretur, hinc tandem etiam,
 postquam plurimos, ut in suam senten-
 tiam Pontificem perducerent, frustra
 sollicitaverat, ipsus ad Papæ pedes pro-
 volutus eidem hæc exposuit: „Cum
 „Deus Patrem Borgiam ad vitæ insti-
 „tutum longe diversum ab eo, ad quod
 „Sanctitas vestra illum evehere decre-
 „vit, vocasset, satis luculenter idem Nu-
 „men ostendit, quod nomen suum per
 „arreptum mundi contemptum in eo
 „prædicari velit; injuria quoque infer-
 „retur Ecclesiæ, si tam raro, tamque
 „necessario Christianæ humilitatis the-
 „sauro privaretur, ac præterea sinistra
 „de Francis proposita, sacroque reves-
 „tu judicandi ansa præberetur, ac faci-
 „le in calumniam pertrahi posset, per-
 „inde ac si Gandiæ Ducatum filio suo ce-
 „sisset, ut purpuram aucuparetur: in-
 „super novæ Societati nostræ periculo-
 „sum oppido vulnus infligi videtur, si
 „hac ratione ambitioni aditus pandere-
 „tur, cum tamen hucusque adjuvante
 „Deo Societas ab omni honorum cupi-
 „ditate feliciter præservata fuerit.

Secl. XVI.**A.C. 1552.**

Pontifex Ignatii auctoritate aequae ac rationum momentis impulsus, cum Cæsari, Sacroque Cardinalium Collegio fidem dedisset, ut hisce satisfaceret, quin tamen Societatem damno, aut Pontificiam auctoritatem discrimini exponeret, statuit igitur, quod Patri Francisco rubrum galerum offerre, atque ad illum acceptandum precibus urgere, invitum tamen nullo imperio cogere vellet. Nec prosper huic consilio defuit successus, vel maxime applaudente Borgia, qui, licet sese adhuc a mundo honorari ingemisceret, aliunde tamen solatio replebatur, eo quod divinae pietatis beneficio rem ita dispositam cerneret, ut D. Ignatii consilia penitus ipsius votis consona essent; quippe paulo post ab eodem supremo Societatis Praefecto Biscajensem solitudinem relinquere, atque animarum saluti vacare iussus mox paruit, cumque solitudinis amorem obedientiae obsequio postponeret, divinum Numen tam heroicum facinus uberrimis compensabat fructibus, quos ex suis praedicationibus, ac consiliis in Castella, Burgis, Vallisoleti, ac Salmanticae collegerat, praecipue vero in Aula Regiae Principis Joannae, quae Cæsaris Filia Joanni unico Joannis III. Lusitaniae Regis Filio in sponsam adoleverat. Nec parciorem Apostolici labo-

laboris sui segetem perceperat Borgias Sæcul. XVI. A.C. 1552.
 in Vandalitiæ, imo etiam in Lusitanæ Regno, ad quod instantibus Rege, ac Regina Catharina Cæsaris sorore contenderat.

§. CXLIII.

Collegium Germanicum Romæ erectum.

Hoc item anno Romæ Ignatii Societas Collegium, quod appellant Germanicum, obtinebat; illud enim erigebatur eo fine, ut Germanorum selectior juvenus ibidem eam vitæ rationem addisceret, ut postea Ecclesiarum gubernacula digne prehendere, sanamque doctrinam gregi suo proponere posset. Hujus Collegii institutio Ignatio committebatur a summo Pontifice, qui ad id per Moronum, & Sancticrucium Cardinales sollicitabatur. Sub idem quoque tempus Ignatius ad Neapolis Regnum contendebat, ut Ascanium Columnam, & Joannam Arragoniam istius uxorem animis pariter, & habitatione sejunctos conciliaret. Nec Viri conatibus secundus abludebat exitus; quippe ambo Sponsi ad pristinam vitæ societatem redeuntes postmodum firma pace conjuncti dies suos transigebant. Inde Romam redux Ignatius accipit literas Hieronymi Saulii Genuensis Epif-

Orland. l. 12. n. 8. & II. 13.

Sæcul. XVI. AC 1552. copi ipsum maxime hortantis, ut cum Societate sua Clericos Mediolanenses, quos Barnabitas vocant, in unum quasi corpus conjungi pateretur: Verum Ignatius, quamvis de horum Patrum virtute, ac sanctitate optime sentiret, Archiepiscopi tamen votis cedere renuebat, respondens, quod consultius foret, si quilibet Ordo in primævo suo statu persisteret; quamvis enim omnes Clerici eandem deferrent vestem, ac Regulares appellarentur, nec tamen eandem omnes Regulam colerent; ut proin majoris fore divini obsequii existimaret, si uterque Ordo seorsim initum vitæ stadium perseveranter decurreret. Idem quoque jam antea Ignatius in responsis dederat Clericis regularibus Theatinis, ac Somaschis, qui itidem sese Societati adjungere cupiebant. Porro hoc anno tria Collegia Perusii, Eugubii, ac Mutinæ fuere erecta, ad Insulam vero Corsicanam, & in Vallem Telinam Viros Apostolicos destinaverat Ignatius, supremum autem Italicæ Provinciæ Præfectum nominabat Patrem Laynium

§. CXLIV.

Gaddii Cardinalis obitus.

Pariter hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium tres Cardinales Gaddium

dium, Crescentium, & Cæcium amiferat. Porro de Crescentio Cardinale jam superius mentionem fecimus, de Nicolao autem Gaddio constat, quod Florentiæ natus, ac Catharinæ Mediceæ Galliarum Reginæ proxime sanguine junctus die decima sexta Januarii mortalitatem exuerit. Is ex Cameræ Apostolicæ Clerico, necnon Pontificiorum diplomatum Abbreviatore Firmanus Episcopus, & tandem a Clemente VIII. die tertia Martii Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo septimo Cardinalis renunciatus est. Rexit etiam tanquam Abbas Cœnobium S. Leonardi in Apulia: cæso autem Alexandro Medicæo reipublicæ Florentinæ patrocinium suscepit, qua re plurimum nominis sui existimationem imminuit, eo quod viribus impar sese Cosmæ Medicæo opponere haud posset. ceterum cum Gallis potissimum faveret, a Francisco I. Rege in gravissimis Regni negotiis adhibitus, ab eodem Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo tertio ad Sarlatensem Ecclesiam nominabatur, ejusque propinqui Gallorum stipendia, cum bellum in Italia ferveret, merebantur. Obtinuit etiam Nicolaus Cosentinum Archiepiscopatum, tandem vero Florentiæ extremum diem clausit Annos natus sexaginta, & unum, Men-

Sæcul XVI.
A.C. 1552.

Ciaccon. in vit. Pont. t. 3. pag. 480. Ughel. in addit. ad Ciac. Et in Ital. Sacra Aubery. hist. des Cardin. Scip. Ammirat. hist. t. 1.

Sæcul. XVI. fes septem , & viginti dies. Corpus
A.C. 1552. ejus sepultum fuit in celeberrimo totius
 Florentiæ Sacello S. Mariæ Novellæ,
 ubi etiam Nicolaus Gaddius ejusdem
 Nepos Patruī sui monumentum vulgari
 quodam Epitaphio honorabat.

§. CXLV.

Cardinalis Cæcii fata.

Ciacon. pag. **T**ertius ex Cardinalibus hoc anno de-
 579 cedentibus erat Pomponius Cæcius
Aubery. l. c. patria Romanus, qui ob ingenii aciem
 non nisi ad magna negotia feliciter per-
 agenda natus videbatur, atque Philo-
 sophiæ, & Astrologiæ laude præclarus
 ex S. Joannis Lateranensis Canonico
 primo civitatis Castellanæ Episcopus,
 & postea anno sequenti millesimo quin-
 gentesimo trigesimo octavo Nepesinus,
 ac demum Sutrinus, necnon Pontificis
 in Urbe Vicarius est renunciatus: tan-
 dem vero circa Annum Domini millesi-
 mum quingentesimum quadragesimum
 secundum a Paulo III. Pontifice pur-
 pura ornatus die tertia, vel juxta alios
 quarta Augusti obiit: quamvis Scripto-
 rum nonnulli obitus diem decem om-
 nino annis priorem statuunt, referant-
 que, illum fatiſſe Anno reparatæ
 Salutis millesimo quingentesimo quad-
 ragesimo secundo, quo Cardinalium
 Collegio adscriptus fuit.

§. CXLVI.

§. CXLVI.

Fridericus Nausea mortuus.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc anno mortuos recensentur Fridericus Nausea, Joannes Cochlæus, Lazarus Bonamicus, Paulus Jovius, Ambrosius Catharinus, Nonnius seu Nunnez de Gusman, & Lilius Georgius Geraldus.

*Calidius in
Cat. Script.
Germ.
Poster. in
appar. Mi-
ræus de
Script
Sæcul. XVI.
Dupin. Bibl.
des Auth.
Eccl. tom. 14.
pag. 194.*

Hos inter primus erat Fridericus Nausea natione Germanus alias latino nomine Blancicampianus appellatus, qui jurisprudentiam, ac Theologiam professus, sua eruditione, ac eximio Novatores convincendi studio percelebris tam Moguntiaë, quam Viennaë in Austria magnum sibi nomen comparabat, quocirca Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo quarto in mortui Joannis Fabri locum ab Imperatore Viennensis Episcopus nominabatur, quinimo præclara meritorum fama eo impulit Carolum V. ut Virum hunc ad Tridentinam Synodum ablegaret, ubi tamen die sexta Februarii hoc anno post plurimos pro Dei Ecclesia exantlato labore animam Deo reddidit. Elucubravit is contra hæreticos quatuor sermones de Missa Anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo Moguntiaë typis impressos, necnon quatuor homiliarum centurias

Sæcul. XVI. A.C. 1552. ibidem Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto editas : quarto autem post anno Lipsiensibus literis quinque libri de Conciliis excusi prodire, & postea Colonix Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto quatuor libri de fine mundi, necnon tres libri de ultimo Christi adventu fuere editi præter plura alia tam dogmatica, quam moralia opuscula, quæ in operum suorum editione Colonix per Quentelium Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo sexto collecta reperiuntur. Scripsit insuper valde curiosum de rebus mirabilibus tractatum, qui seorsim unacum imaginibus Colonix Anno millesimo quingentesimo trigesimo secundo impressus prostat, ubi Auctor de monstris, prodigiis, cometis, aliisque miris, rarisque naturæ Phænomenis in sex libris discurret.

§. CXLVII.

Joannis Cochlæi extrema.

Joannes Cochlæus, cujus frequens in Historiæ nostræ decursu sermo occurrebat, patria erat Norimbergensis, necnon Wratislaviæ in Silesia Canonicus, seu ut alii volunt, Francofordiæ ad Mænum Decanus : ut ut res se habuerit,

rit, id omnino certum est, quod po-
 strema hac dignitate insignis Anno Do-
 mini millesimo quingentesimo vigesimo
 primo WORMATIAM venerit Ecclesiae
 causam adversus LUTHERUM, etsi voca-
 tus non esset, propugnaturus. Porro
 cum inter omnes fidei orthodoxae Pu-
 giles aëvo suo longe accerrimus esset
 LUTHERANAE sectae hostis, ideo sibi ma-
 ximam etiam accersebat invidiam Pro-
 testantium, qui data omni occasione il-
 lius famam calumniis proscindebant.
 Jam ab anno Domini millesimo quingen-
 tesimo vigesimo secundo, usque ad an-
 num Christi millesimum quingentesi-
 mum continuo calamum suum adversus
 LUTHERI Sectatores fringebat, ac fer-
 me omnibus colloquiis intererat, ac
 persæpe hæreticos ad certamen provo-
 cans poenam capitis subire spondit,
 si comprobandis veritatibus Catholicis
 deficeret, aut hæresis fallacias everte-
 re non posset. Denique post creberri-
 mos congressus cum fidei hostibus habi-
 tos WRATISLAVIÆ, ut censent nonnulli
 Scriptores, vel juxta alios VIENNÆ in
 Austria die decima Januarii Anno Salu-
 tis millesimo quingentesimo quinquage-
 simo secundo, ætatis suæ septuagesimo
 tertio obiit. De illius elucubrationibus
 jam frequens occurrebat mentio in pro-
 gressu Historiæ nostræ.

li 5

§. CXLVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Thu. hist.

l. II.

Spond. ad

hunc ann.

n. 20.

Passav. in

appar. Mi-

ræus l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CXLVIII.

Lazari Bonamici mors.

*Thu. l. c.
Joan. Imper. in Mu-
sæo hist.
Spond hoc
ann. n. 20.*

Lazarus Bonamy, seu Bonamicus Bassani in Territorio Tarvisino natus Patrem habuit sua professione colonum, qui filium suum pariter ad agriculturam destinaverat, ac eidem, quamvis in illo literarum amor longe prævaleret, ægre admodum permiserat, ut vacaret studiis, quibus tamen brevi tempore ob linguarum peritiam, atque exactam antiquitatum cognitionem tantam sibi nominis famam comparabat, ut Reginaldus Polus, qui cum eo Patavii consuetudinem junxerat, illum Romam secum adduceret, ubi tamen Lazarus Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo sexto tam librorum, quam scriptorum jacturam fecerat, cum eo tempore urbs a Cæsareo milite spoliaretur. Hoc damno admodum afflictus Patavium rediit, ubi artis Rhetoricæ Professor reliquos vitæ suæ dies admodum pacate transegerat, quin ullo pacto pro acceptandis aliis dignitatibus, aut officiis ad deserendam hanc urbem induci posset, licet Bononienses eidem amplissima obtulissent præmia, ut illum ad suam Academiam pellicerent. Insuper Ferdinandus, qui tum Hungariæ Rex erat, illum ad au-
lam

lam suam accersere nitebatur, nilque intentatum relinquebat Clemens VII. Papa, ut hunc Scriptorem Romam pertraheret. Hic quietem suam præferbat summis etiam honorum fastigiis, quæ aliunde bene moratæ indolis Virum beatum reddere nequeunt. Porro Lazarus nonnisi quasdam epistolas, ac sermones posteritati reliquit, eum tamen Cardinalis Bembo, aliique illius ævi Doctores celeberrimi summo in honore habebant. Obiit tandem die octava Februarii Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, postquam septuagesimum tertium ætatis suæ annum expleverat, eique defuncto Hieronymus Negro, seu Niger Venetus oratione funebri parentabat. Ceterum hic idem Scriptor probe discernendus venit ab alio quodam Francisco Bonamico, qui itidem sua eruditione percelebris evaserat.

§. CXLIX.

Paulus Jovius Historicus mortuus.

Exeunte hoc anno die undecima Decembris Florentiæ extremum diem pariter clauserat Paulus Jovius celebris Historicus Novocomii in Longobardia natus. Expleverat is ætatis suæ annum sexagesimum nonum, septem menses,

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Thu. hist. l.
11. p. 351.
versus finem
Spond. hoc
ann. n. 20.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

ses, ac duodecim dies, sepultus que est in Ecclesia S. Laurentii. Hunc Clemens VII. Papa Nuceriae præfexit Ecclesie; enormiter autem hallucinantur illi Scriptores, qui referunt, quod Jovius hunc Pontificem in sua Historia avaritiæ insinulaverit, eo quod Novocomiensem Episcopatum a se ardentè concupitum non obtinisset; quippe primum Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, proin decimo tertio post Clementis Papæ obitum anno Paulus III. minime vero Clemens VII. eidem præfatum Episcopatum concedere renuebat, prout luculenter apparet ex quadam Alciati epistola, quæ Jovii Historiæ præfixa est; hæc enim epistola die septima Octobris anno a Christi nativitate millesimo quingentesimo quadragesimo nono Patavii pro responsoria haberi potest ad alias literas, quibus Paulus Jovius Alciato animi sui dolorem, necnon Romæ abeundi, ac Florentiam revertendi propositum significabat. Ceterum hic idem, priusquam Episcopus renuntiabatur, arti Medicæ operam dabat, celeberrimum tamen sese reddebat suis lucubrationibus, quamvis non desint, qui illum venali calamo usum, ejusque Historiæ modicam fidem esse adhibendam censeant, quinimo Scriptorum nonnulli haud dubitanter de eo asseverabant, quod Amadis fabu-

*Belcar. in
comm.*

*Bodin. in
Matth. Hist.
cap 4.*

*Vossius de
arte Hist. c.
9. p. 48.*

fabulæ non minus pro veris venditari possint, quam Pauli Jovii historiæ, nam exigua hujus Scriptoris integritas ab eruditis carpitur in ejusdem Historia, quæ præ ceteris omnibus unicum opus est, quod calamo magis limato conscripserat: insuper etiam in crimen vocatur, quod vitæ licentiosæ deditus preces ad Deum fundere, pensumque Canonicum persolvere neglexerit. Ceterum is a Francisco I. Galliarum Regis literarum Parente, atque Eruditorum fautore annuam, eamque haud exiguam receperat pensionem, Rege autem factis functo Montmorentius Connestabilis ad aulam revocatus, cum supremus Regii ærarii Præfectus esset, Jovium liberali hoc dono spoliabat: quapropter hic, cum aliunde venalem haberet calamum, in trigesimo primo Historiæ suæ libro Connestabilem acriter insectatus est, atque adversus eundem multas probrosa evomuit, quæ certe reticuisset, si ille suam ei pensionem integram reliquisset.

Porro unum ex primis ab ipso compositis, & ex ultimis ab eo in lucem editis operibus erat illud, quod sui temporis Historiam complectebatur, cujus elucubrationem Anno Domini millesimo quingentesimo decimo quinto inchoaverat, ac per totum vitæ suæ decursum

pro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.
Imperial. l.
c. p. 7.
Roland. Ma-
reb. ep. 41.
l. I. p. 184.
Scaligerana
prima p. 585.
Ths. l. II.
Brantome
elog. de
Franc. I. t.
de ses me-
moir. p. 218.

Sæc. XVI. profecutus fuerat, & in illo recen-
A.C 1552. da suscepit ea omnia, quæ per univer-
 sum Orbem suo ævo gesta fuere, auspi-
 catus ab Anno post Christum natum
 millesimo quadringentesimo nonagesimo
 quarto, quo Galli sub Carolo VIII.
 Neapolis Regnum armis suis subege-
 rant. Complectitur hæc Historia libros
 quadraginta quinque, & progreditur
 usque ad Annum reparatæ salutis mil-
 lesimum quingentesimum quadragesi-
 mum secundum, in illis autem, quæ
 in libro decimo nono usque ad vige-
 simum quartum inclusive refert, plurima
 desiderantur gesta; quia sex illi libri,
 qui temporis seriem a Leonis X. obitu
 usque ad Romanæ urbis expugnatio-
 nem, seu usque ad Annum millesimum
 quingentesimum vigesimum septimum
 decurrunt, nil nisi breve gestorum sum-
 marium continent; cum in Roma-
 næ urbis deprædatione ea, quæ cir-
 ca hanc Historiæ suæ partem conscrip-
 serat, amisisset, nec illa rursus com-
 ponere, nec ea, quæ deerant, perscri-
 cere voluisset, præcipue duabus ex cau-
 sis ab hoc labore absterritus, quarum
 prima erat, ne quorundam indignatio-
 nem incurreret: altera vero fuit, *ne*
Italiam apud posteros dedecorare videretur,
aut quæ sine flagitio & rubore enu-
rari nequeunt, perscribere aestimaretur.
 Præ-

Præterea observandum venit, quod præter ambas hæc rationes, quas Jovius pro valida apologia reputabat, in super in pagina sequenti eam, quæ in ejus historia desideratur, partem supplere Lectoribus promiserit, simulque testatus fuerit, illa, quæ antea consulto omiserit, in specialibus Virorum illustrium vitis a se editis reperiri posse. Hæc referuntur in præfatione die prima Maji anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Pisis scripta, quæ est nuncupatoria ad secundum volumen: tertium vero, quod Historiæ suæ postremum erat, nondum prælum reliquerat, cum Jovius jamjam sequenti Mense Decembri morte præventus obiisset: cetera vero volumina Florentiæ typis edi curabat, ex quibus primum opus erat tractatus *de Piscibus Romanis*, quem Ludovico Borbonio Cardinali inscripserat, adjuncta epistola nuncupatoria, quæ data erat ex Vaticano die vigesima nona Martji Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Insuper scripsit præter alios libros elogia Virorum illustrium, & tractatum de Symbolis, ceterum is habuit fratrem nomine Benedictum, qui eundem educavit, atque Helvetiæ Historiam conscripsit. Erat illi pariter Nepos, qui itidem Paulus

Jo-

Sæcul. XVI.
A C. 1552.

Joan. Herold. in epist.
dedic. op.

Jovji.

Sæcul. XVI. Jovius nuncupabatur, atque in Nuceri-
A.C. 1552. num Episcopum nominatus Concilio
 Tridentino interfuit Anno Domini mil-
 lefimo quingentesimo sexagesimo secun-
 do, seu decimo post obitum illius Scrip-
 toris, cujus modo mentionem fecimus.

§. CL.

Ambrosii Catharini obitus.

Spond. hoc Ambrosius Catharinus, qui alias pro-
ann. n. 19. prio nomine Pollitus Lancellotus
Dupin. Bibl. vocabatur, Anno Christi millesimo qua-
des Auth. dringentesimo octogesimo tertio juxta
Eccl. tom. communioem opinionem Senis primam
16. p. 3. & lucem aspexit. Is usque ad trigesimum
suiv. secundum ætatis suæ annum in variis
Pallav. hist. Italiæ Universitatibus jurisprudentiam
Conc. Trid. servato adhuc Lancelloti nomine trade-
l. 6. c. 9. n. 1. bat, postea vero Anno supra millesi-
l. 8. c. 12. n. 9 mum quingentesimo decimo quinto Or-
Sarpus hist. dinem S. Dominici Florentiæ ingressus,
Conc. Trid. Ambrosius Catharinus nominari voluit:
l. 2. p. 135. mutato autem vitæ genere ad aliud quo-
160. 212. & que studii genus mentem applicare cœ-
223. perat, relictaque jurisprudentiæ disci-
 plina tanto progressu sese totum Theo-
 logiæ impendit, ut intra breve tempo-
 ris spatium lucubrationibus suis ingens
 sibi nomen compararet: cum vero Ro-
 mæ ageret, Anno Christi millesimo
 quingentesimo quadragesimo quarto ad
 Tridentinam Synodum nuper inchoa-
 tam

tam decretus præ cæteris feligebatur, Sæc. XVI. A.C. 1552.
 ut die quarta Februarji Anno Salvato-
 ris nostri millesimo quingentesimo qua-
 dragesimo septimo ad initium tertiæ
 Sessiois sermonem peroraret, ubi etiam
 non modo profunda sua eruditione, sed
 peculiaribus etiam opinionibus a com-
 muni Theologorum sententia alienis per-
 celebrem sese reddebat. Eodem anno
 Minoræ, quæ exigua est Neapolitani
 Regni civitas, Episcopus & Amalphi-
 tani Archiepiscopi Suffraganeus nomi-
 nabatur, postea vero a Julio III. qui
 illo olim jurisprudentiæ Magistro uteba-
 tur, Anno Domini millesimo quingente-
 simo quinquagesimo primo Episcopus
 ad Cosentinam ejusdem Regni urbem
 translatus fuit, quo tamen Episcopatu
 haud diu fruebatur repentina morte an-
 no sequenti Neapoli sublatus, eodem
 ferme tempore, quo præfatus Pontifex
 hujus Viri merita Cardinalium dignita-
 te celebrare parabat.

§. CLI.

Illius opera, ac speciales sententiæ.

Ingenii sui monumenta præcipua sunt
 commentarii in quinque prima capi-
 ta Geneseos, & in Epistolas D. Pauli,
 nec non in epistolas Canonicas, in qui-
 bus persæpe Cajetani Cardinalis opinio-
 nes impugnat, hujusque Scriptoris
Hist. Eccles. Tom. XLI. K k com-

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

commentarios specialibus notis perstrin-
gens illum accusat, quod plures erro-
res Religioni noxios, ac doctrinæ Ec-
clesiæ adversos tradiderit. Excogita-
bat pariter novum systema circa præde-
stinationem, ac reprobationem, vi cuius
humanum genus in duas dividit classes,
quarum prima complectitur electos, ac
speciali ratione prædestinatos, quibus
Deus talia confert auxilia, quæ illis
adeo certo ad salutem conducunt, ut
illam certo quoque consequantur, quin
propterea eorum libertas lædatur. Hæc
classis juxta ipsum restringitur non nisi
ad paucos, quos Deus speciali dilectio-
ne dignatus est, quales fuere Beatissi-
ma Virgo, SS. Apostoli, D. Paulus,
hisque alii similes. Altera classis con-
tinet reliquos omnes homines, quos
Deus per decretum efficax, ac immu-
tabile non prædestinavit ad salutem,
sed duntaxat sub conditione, quæ exi-
stere, & non existere potest, ita, ut
eorum salus dependeat a bono, vel ma-
lo usu illarum gratiarum, quas Deus
illis concedit. Hoc systema propugnat
non modo in suis in sacrum Codicem
commentariis, sed etiam in tractatu,
speciatim de Prædestinatione evulgato,
necnon in alio opere de excellenti præ-
destinatione Christi Domini, ubi per-
celebrem, atque in D. Thomæ, &
Scoti

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Scoti Schola acriter agitatam quæstionem discutit : utrum Christi Domini Prædestinatio, seu Dei decretum de incarnatione Verbi præsupponat Adæ peccatum, vel potius an Christus Dominus ante prævisum hoc peccatum fuerit prædestinatus, ita ut tunc, si Adam non peccasset, Christus carnem nostram assumpsisset, vel non. Adhæret Catharinus opinioni Scoti, qui Christum venisse propugnat, etsi Adam non peccasset; pluribus quoque rationibus comprobatur, quod, etsi Adam non peccasset, verbum tamen incarnari convenisset.

Huic sententiæ inhærens in tractatu de Angelorum justorum gloria, & reprobatorum lapsu docet, malorum Angelorum peccatum in eo consistere, quod Decretum Incarnationis revereri noluerint. Scripsit etiam tractatum de lapsu hominis, & peccato originali, idque consistere autumat in ipsa actione, qua Adamus fructum vetitum comedens peccavit, illudque peccatum esse in nobis tradit, eo quod nostra voluntati Adæ fuerit alligata.

§. CLII.

Catharini sententia de immaculata Conceptione Beatæ Virginis.

Ceterum nullum aliud argumentum fusiori calamo prosequatur præter

K k 2

ter

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

ter illud de immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis, quod mysterium nequaquam ex perpetua Ecclesiæ traditione, sed ex pluribus aliis generalibus rationibus comprobatur, & simul D. Augustinum tanquam sententiæ suæ propitium allegat, demonstratque istud ex Universitatum consensu, Basileensi Concilio, ipsa etiam festivitate ibidem instituta, necnon ex revelationibus D. Birgitæ factis, ac sanctissimæ Dei Matris prærogativis, & denique ex pluribus aliis rationibus. Edidit aliud adhuc opusculum de eodem argumento contra Cardinalis Turrecrematæ librum, quem Bartholomæus Spina excudi curabat; in eo enim opere opinio, quod Beatissima Virgo sine macula sit concepta, tanquam honori Christi Domini adversa reiiciebatur, atque in operis fine quinquaginta octo errores fidei contrariantes annotabantur, qui ex dogmate de Conceptione immaculata deduci dicebantur: unde Catharinus digno erga oppositam doctrinam Zelo animatus hunc tractatum in duas partes divisum composuit.

Alium insuper de consummata Christi, at Beatæ Virginis gloria edidit tractatum, in quo Dei Matrem æterna beatitudine non modo quoad animam, sed & quoad corpus frui contendit, San-

Sanctumque Joannem Evangelistam non mortuum, sed æque, ac Eliam, & Enoch translatum fuisse propugnat. Porro in tractatu suo de morte, & universali omnium hominum resurrectione plurimum discrepare videtur a communi Theologorum doctrina; Infantes enim sine Baptismo decedentes non modo a pœnis exemptos, sed etiam felicitate eorum statui congrua beatos esse existimat: insuper reperiuntur in eodem tractatu circa statum hominum in die judicii plures aliæ opiniones insulsæ, quæ tamen nonnisi frivolis conjecturis innituntur. Edidit præterea opusculum de certitudine gloriæ, & de invocatione, ac cultu Sanctorum, in quo Ecclesiam in Divorum Apotheosi falli haud posse contendit, insuper nec minus Sanctorum, quam Reliquiarum, atque Imaginum cultum egregie propugnat. Tandem Tridentinæ Synodi tempore quod justis de sua justificatione certi esse valeant, edito comprobavit tractatu, quem in quatuordecim sectiones divisit, totius autem operis summam Dupinus recenset. Ad concinnandum hoc opus occasionem Catharino præbebat altercatio, quæ ante Sessionem sextam in eisdem Concilii Congregationibus fuerat exorta; illos enim tunc impugnabat, qui ejus sententiam per Synodi decretum

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

Sæcul. XVI
A.C. 1552

tum damnandam contendebant: quapropter novis Synodi Præsidibus, imo toti Concilio suum nuncupabat tractatum, præmissa præfatione, qua in memoriam revocat, quod nunquam, ut quicquam circa quæstiones inter Catholicos Theologos controversas decideretur, Synodi mens fuerit, sed unice intenderit ad id, ut tam veterum, quam novorum hæreticorum errores damnerentur: Attamen tota hæc disceptatio nil nisi lis de nomine fuisse videtur.

Ceterum postquam Catharinus in speciali tractatu veritatem sacrificii Altaris sat luculenter demonstraverat, in alio propugnabat, quod Christus Dominus non consecraverit per hæc verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, eo quod in Evangelistis illa sint verba, ut inquit ille, non nisi *enuntiativa*, non autem *operativa*. Insuper Polemicum vulgabat tractatum circa communionem sub utraque specie, ubi Protestantium argumenta diluit, referetque conditiones, sub quibus calicis usum laicis concedi posse existimat. Porro librum de intentione Ministri in administrandis Sacramentis summo profus judicio conscripsit, ibidemque propugnat, ad peragendam rem sacram non requiri interiorem intentionem, sed sufficere, quod Minister, si Sacramentum

tum Ecclesiæ administrare velit, hanc intentionem tum habeat, quando serio, ac externe requisitos ritus adhibet, quamvis interius ea omnia per jocum, vel ludibrium facere intendat. Conscripsit adhuc plures alios tractatus de Sacramentis, ac præcipue de Matrimonio; alium vero elucubravit de libris Canonicis, in quo contra Protestantes propugnat illos libros, quos Romana Ecclesia tanquam Canonicos recipit, in veteri tamen Canone non reperiuntur: Denique posteris reliquit varios tractatus, in quorum uno discutit, an ex jure divino contra hæreticos poena mortis infligenda sit; in altero autem inquit, utrum ex eodem jure Divino Episcoporum residentia profluat: porro in reliquis agit de parvulorum Baptismo, religione Judæorum, & de dissolutione matrimonii ob causam adulterii. Exstant adhuc plures alii ejusdem Auctoris libelli: ceterum id unice Catharino crimini dari potest, quod nimium libero calamo in scriptis suis, ac nimia audacia in suis opinionibus usus fuerit.

§. CLIII.

*Extrema Ferdinandi Nonnii
Gusman.*

Ferdinandus Nunnez, seu Nonnius ex illustri Gusmanorum familia Pinciæ

K k 4

or-

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

Sæcul XVI
A. C. 1552.

*Nicol. Ant
Bibl. Script.
Hist. Mi-
raus de
Script. Sæ-
culi XVI.
Alv. Gomez
in vita
Card. Ximen
Thu. l. II.*

ortus, atque inde vulgo a latinis Fer-
dinandus Nonnius Pincianus dictus,
filius erat alterius Ferdinandi Gufma-
ni, qui Hispaniæ Regis ærario præfe-
ctus erat. Porro juvenis Ferdinandus
prima linguarum elementa sub Antonio
Nebriffensi didicit, & postea in Italia
Bononiæ sub Philippo Beroaldo huma-
nioribus literis operam dedit, inde ve-
ro in patriam reversus, Græcam lin-
quam cum ingenti nominis sui laude
palam professus est in Complutensi Uni-
versitate, ad quam a Ximenio Cardi-
nale vocabatur. Numerabat Discipulos
prorsus insignes, quos inter eminebant
Leo de castro, Hieronymus Lurita,
Christophorus Orosius, & Franciscus
de Mendoza, qui postea Cardinalium
purpura decorabatur, atque hi omnes
ob raram eruditionem ubique commen-
dabantur. Postea Cardinalis Ximenius
cognitis Nunnii meritis, ejusdem ope-
ra usus est in procudenda Bibliorum
Complutensium editione, eidemque
Græcam septuaginta Interpretum ver-
sionem latine reddendi curam commi-
sit. Ceterum Nunnius etiam posteritati
reliquit annotationes in opera Senecæ
Philosophi, necnon commentarios in
Pomponium Melam, atque in Historiam
naturalem Plinii, & demum suam Bib-
liothe-

liothecam Salmanticensi Universitati legavit, atque octogenario major hoc anno mortalitatem exiit. (*)

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CLIV.

Billichii Carmelitæ, & Hermani Weiden Archiepiscopi Coloniensis fata.

Eodem Anno Everardus Billichius Coloniensis ex ordine Fratrum Carmelitarum Theologus Tridenti in Concilio, cui cum magna nominis fama inter-

K k 5 ter-

(*) Equidem Continuator §. CXLVI. pollicitus est, quod Lili Gregorii Giraldis fata recensere velit, verum ex naturali, ut autumno, oblivione promisso haud stetit, unde quorundam forte Lectorum desiderio satisfactorius, hæc subjungo :

Eodem Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Mense Februario obiit Lilius Gregorius Geraldus. Hic anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto die decima tertia Junii Ferrariæ natus non modo arte poetica, sed etiam omni politiori literatura, atque antiquitatum, linguarumque peritia excelluit. Emenso studiorum curriculo Alberti Pii Carpiensis Principis, nec non Joannis Francisci Pici Mirandulani benevo-

nevo-

Sæcul. XVI.

A.C. 1552.

terfuit, extremum diem clausit, qui percelebrem se reddebat ob miram facilitatem in rite explicandis Sacri Codicis difficultatibus. Elucubravit etiam opus insigne, cui titulus: *Judicium Universitatis, ac Cleri Colonienfis adversus calumnias Melanctonis, Bucevi, aliorumque Hæreticorum.* Ad hanc lucubrationem ansam Billichio dederat Hermanus de Weiden Colonienfis Archiepiscopus, atque Elector, qui sub specioso reformationis prætextu Mar-

tino

nevolentia fretus ex eorum Bibliothecis uberimos eruditionis fructus colligebat, & postea Mediolanum profectus, Græcæ linguæ sub Demetrii Chalcondylis Magisterio operam navabat, uno autem duntaxat anno ibidem transacto Mutinam ad Rangonium Comitem contendit, cujus amicitia suffultus Romam perueniens in Herculis Rangonii Cardinalis familia esse meruit, atque ab eo temporis articulo cum variis fortunæ, ac corporis adversitatibus conflictari cœpit; quamvis enim Protontarius Apostolicus renunciatus fuisset, brevi tamen, cum Romana urbs diriperetur, omnibus bonis, & quod potius re omni ducebat, suam suppellectilem literariam amisit; cui insuper ad infestæ fortunæ cumulum accessit præmatura mors Herculis Rangonii præclari Fa-

toris

tino Bucero, aliisque novis Sectatoribus totum se dederat, suumque Clerum ad amplectendos Lutheri errores obstringere moliebatur. Tandem hic idem Hermanus hoc anno die decima tertia Augusti Biverini in Comitatu Weidensi, quo confugerat, a summo Pontifice anathemate perculsus infelicem animam exhallabat. Eidem a Papa subrogabatur Adolphus de Schauenburg, quem Cæsar in possessionem Archiepiscopalis Ecclesiæ ritu solemniter induxerat, de quo etiam jam alibi mentionem fecimus.

Obiit

toris sui: unde rursus ad Joannem Picum Mirandulæ Comitem confugere cogebatur. Verum & ibi inimicam experiebatur fortunam; cum enim Picus a Galeotto Nepote suo crudelem in modum trucidaretur, non modo omnium suorum librorum, Scriptorumque jacturam rursus perpessus est, sed ægre vitam suam conjuratorum furori subducere poterat: quapropter Ferrariam in patriam suam reversus ibidem cum Cælio Calcagnio, & Joanne Manardo Viris eruditionis laude longe celeberrimis aliquamdiu conjunctissimu vixit; cum autem paulo post Joannes Manardus ejus Amicus fati fungeretur, Lilius summo mærore affectus, insuper athritide tam sæva cruciaba-

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Obiit pariter hoc anno die sexta Februarii Henricus Megalopolitanus Dux gravi admodum senio pressus, postquam ditiones suas per quadraginta octo annos tanta tranquillitatis felicitate rexisset, ut merito *Pacifici* nomen emeruerit.

§. CLV.

ciabatur, ut nec pedibus ad incedendum, nec manibus ad scribendum, librosque evolvendos uti possiet, suamque vitam maxima etiam paupertate miseram usque ad extremam senectutem trahere cogeretur, & quamvis Renata Ferrariensis Ducissa hujus Viri calamitates sua liberalitate non raro sublevare satageret, cum tamen superiorem vitam in jucundo literarum otio ducere solitus esset, nunc lecto affixus, ac sine literis ægerrime animam trahebat. Nilominus in hoc misero vitæ statu *Historias de Diis Gentilium, & de Poetis sui avi Grecis, & Latinis* conscripsit, multis quidem, ut observat Joannes Jenfius, refertas erroribus, quos tamen vitæ tædio, ac dolorum vehementiæ adscribere oportet. Tandem morbo indies ingravescente, cum annum ætatis suæ septuagesimum quartum ageret, decessit, illatus monumento, quod sibi in majori urbis templo vivus paraverat, atque eleganti inscriptione a se composita ornaverat: porro hæredes suos nuncupabat Cynthium Girdum

Ne-

§. CLV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

Casparus Hedion, Osiander, & Münsterus Protestantes mortui.

Hic idem annus Hæreticis quoque quosdam ex suis affeclis præcipuos scilicet Casparum Hedionem, Andream Osiandrum, & Sebastianum Münsterum eripuit. Horum primus Eslingæ in Badensi Marchionatu natus Argentinæ, a quo alibi literas publice professus nil inausum reliquit, ut sectæ suæ fautores extolleret, quam in rem varios edidit tractatus. Alter nomine Andreas Osiander die decima nona Decembris anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo in Bavaria natus erat ex familia, cui nomen *Hofenman*, quod ille tamen immutans, Osiander appellari voluit. Hic Wittembergæ, ac Norimbergæ linquarum peritia imbutus,

*Teyssier elog
des hommes
Scavants.*

Nepotem suum, & Prosperum Pasethum. Ceterum Lilius Orbem literarium variis scriptis illustrabat, inter quæ præcipuus est liber de Annis, Mensibus, ceterisque temporis partibus, & Calendario Romano - Græco præter varia critica, carmina, antiquorum ænigmata, pluresque alios libellos, quos præfatus Joannes Jensus in unum collectos recens edidit curavit.

Sæcul. XVI. butus, inter primos fuit, qui Anno
A C. 1552. Christi millesimo quingentesimo vige-
 simo secundo Lutheri sectam suis sermo-
 nibus divulgabat, atque intererat etiam
 Anno Domini millesimo quingentesimo
 vigesimo nono Marpurgensi colloquio,
 necnon Augustanis comitiis: cum au-
 tem primævæ indolis vitio ad iram, ac
 factiones esset propensus, hinc pluri-
 mos sibi accersebat adversarios, quo-
 rum opera Norimberga ejectus in Brus-
 siam sese recepit, ubi ab Alberto Duce
 magni habitus Regiomontanæ Ecclesiæ
 Pastor, nec non Universitatis Professor
 ab eodem Duce nominabatur. Ibidem
 ergo præprimis suos spargebat errores
 circa justificationem, hac tamen ratio-
 ne rursus plurimos hostes in se concita-
 bat, quibus in nulla disputatione exin-
 de orta palam cedere voluit, sed potius
 semper summa verborum contentione,
 & injuriis debachabatur, prout patet
 ex quadam ejus epistola ad Joachimum
 Merlinum, & Melanchtonem data. Præ-
 terea Calvinus eidem ebrietatis vitium
 objectabat, simulque eum accusabat,
 quod sanctissimos quosque Sacræ Pagi-
 næ textus impiorum, atque Atheista-
 rum more ludo, ac ludibrio verterit.
 Decessit tandem ex epilepsi die decima
 septima Octobris Anno Christi millesi-
 mo quingentesimo quinquagesimo secun-
 do,

Sæcul XVI.

A.C 1552.

do, ætatis suæ circiter quinquagesimo quarto, ac reliquit posteris plurima Theologica opuscula. Tertius denique erat Sebastianus Münsterus Engelheimii in Germania Anno Salvatoris nostri millesimo quadringentesimo octogesimo nono natus. Hic Tubingæ emenso studiorum curriculo Ordinem Fratrum Minorum professus abjecto cucullo Lutheri doctrinam Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo nono amplexus est, eosdemque errores primum Heidelbergæ, postea Basileæ diffeminavit. Hic idem in mathematicis disciplinis multum profecerat, Magistro usus Joanne Stofflero, postea vero neglecto hoc studiorum genere totum se Hebraicæ linguæ, sacrisque libris addixit, tantumque sibi nomen comparavit, ut a suis Germanorum Esdras, ac Strabo appellaretur. Obiit peste correptus Basileæ die vigesima tertia Maji Anno supra millesimum quingentesimo quinquagesimo secundo, postquam sexagesimum tertium ætatis suæ annum expleverat, multosque libros conscripserat, quos inter præcipue celebrantur ejus versiones Veteris Testamenti, nec non libri Tobixæ, & Evangelii S. Matthæi, quod ex Hebraico latine reddidit, nec minus vulgavit *Grammaticam hebraicam, & Chaldaicam necnon Dictionarium*

Sæc. XVI.
A.C.1552.

navium itidem hebraicum. Ceterum licet eruditione clarissimus esset, ab ambitione tamen, & fastu admodum alienus audit.

§. CLVI.

Caroli Molinæi liber de parvis datis proscriptus.

*Argentre
colect. jud. de
novis error.
t. 2. p. 205.*

Inter censuras, quas hoc anno Parisina Facultas Theologica pronuntiaverat, longe celeberrima est illa die nono Maji lata contra librum *de parvis datis* editum a Carolo Molinæo, qui famosus erat Jurisconsultus, atque supremi Parisiensis Senatus Advocatus: ut vero hujus censuræ occasio penitus inspicatur, in memoriam revocandum venit, jam alibi fuisse memoratum, quod Henricus II. Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo Mense Junio promulgaverit edictum die vigesima quarta Julii ad Senatus acta relatam, quo aliud decretum jam quatuor abhinc annis circa Notarios Apostolicos editum confirmabatur; Regi enim suggerebatur, quod ex perniciose consuetudine plures, ut vocant, procuratores, seu potestates ad cedenda beneficia delegatæ fuerint falsæ, nullæ, ac minus legitime concessæ, eoquod illi, qui Romæ beneficiorum, quæ conferuntur, tabulas tenent, pro eodem beneficio

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

beneficio plures dies, seu *datas* adscribant, literasque expediant: procurationes vero tamdiu occultent, usquedum beneficii cessionem publicam reddere judicarent, unde secretæ ejusmodi procurationes quandoque nonnisi post cedentis obitum per integrum biennium, & amplius non producebantur: quinimo hic idem abusus adhuc pejor evadebat, cum plures sua beneficia *non pure, ac simpliciter* cederent, sed id ab illis fieret sub conditione, si Pontifex illa designatis quibusdam Clericis contulerit, interea vero ipsi toto suæ vitæ tempore ejusmodi beneficia retinebant, quæsito obtentu, quod illi, quibus ea cedebantur, eadem non acceptant, quamvis illorum possessionem accipere simularent, ac ejusmodi possessio per Notarios Apostolicos ad acta fuisset relata. Insuper, licet ex Pontificis mandato ejusmodi cessiones non valeant, nisi intra trimestre publicæ reddantur, plures tamen ex iis, qui pro futura cessione necessariam facultatem dederunt, hanc mox revocarunt; unde infinitis prope modum tricis, dolisque ansa præbebatur.

Hosce igitur abusus Rex tollere intentus hanc in rem edictum promulgabat, vi cujus corruptelæ, fraudes, *Hist. Eccles. Tom. XLI. L 1 fal-*

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

falsæ *datae*, ac deceptiones corrigeren-
tur, quæ in expediendis beneficiorum
literis per Curiam Romanam commit-
tebantur, præcipue per usum circa *par-
vas datas*, necnon per Notariorum Apo-
stolicorum, ac camporum fraudes. Ea-
propter edicto cautum, ut Campores,
qui ejusmodi negotia in se suscipiunt,
diem, qua ipsis hæ procurationes fue-
runt traditæ, necnon Notarii, eas ex-
pedientis, atque etiam testium ibidem
subscriptorum nomina annotarent, nec-
non præter diem, qua ejusmodi facul-
tatum literæ fuerunt transmissæ, re-
sponsum quoque Roma datum in tabu-
las referrent. Hoc itaque remedio non
modo utili, sed & necessario eorum,
qui dolose agebant, audacia reprime-
batur, litesque quamplurimæ, aut fi-
niebantur, aut saltem in omnibus su-
premis Regni Curiiis sopiebantur. Sub
idem tempus Rex Julium III. bello op-
primere cœperat, quocirca die quinta
Septembris Anno Domini millesimo
quingentesimo quinquagesimo primo e-
dictum promulgavit, quo pecunias Ro-
mam transmitti prohibuit, ubi ipsemet
quoque sedis Apostolicæ Nuntius non
sine magna sua indignatione Regno
excedere cogebatur, eo quod supremus
Parisiensis Senatus sententia in eum
lata

lata ipsi injunxisset, ut sigilla, priusquam abiret, in Galliis relinqueret, unacum albo, in quo descriptæ erant omnes literæ, quibus durante sua legatione beneficia concesserat. Insuper Parliamentum sententiam pronuntiabat contra ipsius, ut vocant, Datarium, qui ad preces ipsi factas cessiones per *parvas datas* unacum clausula, quæ viginti dierum regulæ derogat, admiserat. (*)

Sæcul XVI.
A C. 1552.

Cum igitur Romana Curia hoc editum Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo promulgatum iniquo ferret animo, palamque testaretur, quod

L I 2

Re-

(*) Omnes hi abusus non nisi malevolorum, ac Continuatoris commentum & fabulæ sunt, quapropter hic suæ calumniæ nullum omnino testem allegare ausus est, Argentreus autem, quem citat, de hoc nequidem verbum habet, sed unice facultatis censuram refert contra Molinæi librum, qui ejusmodi abusus Curia Romanæ falso impingit: qua ergo ratione hujus Auctoris librum damnare potuisset Facultas, si ejusmodi corruptelæ palam in Regno invaluissent? Cur Molinæus nunquam questus est, immerito librum suum fuisse damnatum, cum jure hosce abusus redarguisset, & ipsemet Rex edicto suo correxisset.

Sæcul. XVI. Regis potestatem excederet, quicquam
A.C. 1552. decernere circa ea, quæ jurisdictionem
 Ecclesiasticam summo Pontifici re-
 servatam concernunt, hinc indigna ejus-
 modi agendi ratione Sedis Apostolicæ
 auctoritatem labefactari querebatur.
 Itaque Molinæus Regis sui jura tuendi
 studio accensus (*) latino sermone

(*) Hæc Continuator ex suo Thuano Au-
 ctore proscripso l. 5. Hist. mihi fol. 455. edit.
 Paris. anno 1604. decerpfit, eum tamen alle-
 gare ausus non est, ne tam suspecti Autho-
 ris testimonio suæ fabulæ fidem derogaret. Ita-
 ne Molinæus Regis sui jura conservandi stu-
 dio animatus dici potest, cum librum editi
*Orbi Christianissimo perniciosum, seditiosum,
 impium, blasphemum in Sanctos, ac hæretico-
 rum doctrinis conformem*, ut loquitur Facultas
 Parisiensis in sua censura. Ergone hac scri-
 bendi ratione apud Continuatores nostrum
 Regum jura tuendi studium exeritur? Ergo
 eadem Facultas Theologica ejusmodi jura
 defensorem publice in Regis sui Metropoli dam-
 nare ausa fuit? Si inique egit, cur illa a Rego
 aut ejus Ministris vel verbo quidem castigari
 nullibi legitur. Si juste hunc librum, qui ejus-
 modi abusus carpsit, damnavit, quomodo
 ejusmodi damnando libro Regis jura fuisse de-

brum conscripsit, atque Henrico II. nun- Sæcul. XVI.
cupavit sub hoc titulo, *Commentarius* A. C. 1552.
ad edictum Henrici II. contra parvas da-
tas, & abusus Curia Romanæ, & an-
tiqua edicta, & Senatus consulta Fran-
cia, contra annatarum, & id genus
abusus, nonnullas novas decisiones juris,
& praxis continens Auctore Carolo Mo-
linao &c. Hic commentarius Lugduni
cum Regis privilegio (*) prodiit: ve-
rum vix publicam lucem aspexerat,
cum illico plures sese eidem oppone-
rent, ac ipsimet Regis Ministri in publico
etiam Senatu tam infamem libellum de-
testarentur, ac die secunda Maji por-
recto supplici libello Regem exorarent,
ut huic malo obviaret: mox igitur su-
prema Senatus Curia hunc librum Theo-
logicæ facultati tradi præcepit, eo fine,
ut suum desuper ferret judicium, a qua
etiam hic liber, ut supra memoravi-
mus, die nona Maji re divina apud
Sanctum Mathurinum prius peracta,
L 1 3 fuit

ensa dici potest? Nempe quotiescunque aliquis
contra summos Pontifices, curiamque Roma-
nam calamum strinxit, toties ille a nostro Con-
tinuatore commendari meretur, tanquam egre-
gius juris Regii defensor.

(*). Abs dubio per fraudem falso apposi-
tum fuit hoc privilegium.

Sæcul. XVI

A.C. 1552

fuit condemnatus, atque propositiones antea ex hoc libro decerptæ, atque maturo iudicio discussæ publice prælegebantur. Porro hujus censuræ sequens est tenor: *Hic liber est toti orbi Christianissimo perniciosus, scandalosus, seditiosus, schismaticus, impius, blasphemus in Sanctos, conformis hæresibus Waldensium, Wiclistarum, Husitarum, & Lutheranorum, & maxime conspirans erroribus Marsilii Patavini ante annos ducentos damnati, & Catalogo hæreticorum adscripti, passim continens propositiones falsas, suspectas, erroneas, impias, & hæreticas, quas ex locis Sacræ Scripturæ male intellectis sæpe confirmare nititur, perperam etiam quandoque truncata auctororum testimonia producens. Aliquando etiam impostor, traditiones humanas, & Decretales temere contemnens, contumeliosus in summum Pontificem, Collegium Cardinalium, Præsules, & Sacerdotes avertens ab illorum obedientia, imo Petri & Sedis Apostolicæ primatum, jurisdictionem, & auctoritatem tollens: Acephalam constituens in terris Ecclesiam, totum denique ordinem hierarchicum Ecclesiæ confundens: itaque hic liber, ne ejus ventum latius serpat, multosque inficit, citissime comprimendus est, & ita Decem*

*nus conclusit, tamen nec intendit Facul- Sæcul. XVI.
tas per banc censuram quicquam attentata A. C. 1552.
re adversus potestatem, & jurisdictionem Regis.*

Hæc Facultatis censura die decima tertia Maji ad supremum Parisiensem Senatum delata fuit, altera autem die Curiae Patres habito conventu, quid hac in re statuendum, deliberarunt.

Demum Petrus Sequierus, qui tum Regius erat Advocatus, perlecta Facultatis censura hunc librum suppressi, ac prohiberi petiit, ipsumque Molinæum præstituta die ad tribunal vocari, atque desuper interrogari voluit. Ast Curiae Patres re perpensa censuram non approbabant, sed promulgato edito præcipiebant, ut Facultas speciatim propositionum, quas ex præfato libro decerpserat, censuram duobus Consiliariis committeret, illam tamen publici juris facere indicta etiam pœna inhibuerunt Patres, simulque statuerunt, quod omnia hucusque typis impressa suppresserentur. Verum Facultas de singulis articulis censuram tradere renuebat, caussata, id haud moris esse, cum alias nunquam a mordacibus responsis, atque malignis confutationibus immunis foret: nihilominus

Sæcul. XVI.
A C. 1552.

spondebat, quod proxima feria sexta habito conventu hac super re deliberare vellet: porro hanc consultationem fuisse factam haud constat, nec aliam censuram, præter illam mox relatum, postea prodiit. Ceterum dum summus Pontifex quemdam Facultatis Doctorem tanquam hæreticæ pravitatis Inquisitorem eo fine delegabat, ut in Molinæum iudicii acta instrueret, hincque ab usurpatæ jurisdictionis crimine appellaret, Borbonius Cardinalis, qui Regis extra Regnum peregre profecti, atque absentis vices agebat, hujus recognitionem in se suscepit, totamque causam tandem ad secretiorem Senatuum, qui tum præsentem Regina Franciæ Administratricem Cataluni congregabatur, remisit, ac delegato Inquisitori inhibuit, ne contra Molinæum, vel adversus eum, qui illius librum typis excuderat, quicquam moliretur, ulquedum aliter a Rege proxime in Regnum suum reversuro decerneretur. Nihilominus Molinæus Catalunum veniens in Senatu fuit auditus, ubi etiam ipse præsentem Regina suam causam tuebatur, cumque perscriptis actis discutendum esse pronuntiaretur, haud amplius in eum inquirebatur: ast propterea nondum deterrebantur illius ad-

ver-

versarii, qui toto impetu in eum effu- Sæcul. XVI.
A.C. 1552.
so illius ædes spoliarunt, eumque, ut
vitæ suæ securitati prospiceret, Regno
excedere compellebant. Refert Thua-
nus, *quod primo apud Sequanos, postea
autem apud Germanos (*) divertere co-*
L 1 5 *ctus*

(*) Addere debuisset: *Hæreticos*: Si au-
tem Continuator nequissimum suum Molinæum
tot eloquiis celebrare voluit, cur non eundem
cum suo Thuano itidem Authore proscrip-
to deprædicavit *Virum tam eruditione, ac judi-*
tio, quam probitate conspicuum, qui duntaxat
prævalente jam tum inter Gallos Pontificiorum
potentia ad Germanos divertere coactus est, ubi
Vir de ingrata patria optime meritus tutum, &
honorificum per fugium nactus fuit. Cur Con-
tinuator Facultatem Parisinam duntaxat tum
usque ad astra extollit, quando Pontifici ad-
ver'atur, eumque Synodo inferiorem esse de-
nuntiat, tum vero illius censuras contemnit,
si fidem orthodoxam, ac Pontificis auctori-
tatem, & jura contra hæreticos, ac maledicos
tuetur? Num patriæ suæ honorem, ac profa-
ni Regiminis amplitudinem magis protendi
existimat, si non modo æquissimam celeberrimæ
Facultatis censuram, sed ipsam etiam
sacram Pontificis auctoritatem, jura, & stu-
dium, quo veræ fidei, ac sanæ doctrinæ ho-
stes reprimere nititur, a profanis dolose op-
pressam refert.

Sæcul. XVI. *Etus sit, ubi tutum & perhonorificum*
A. C. 1552. *naclus est perfugium;* confugerat enim
 ad Guilielmum Hassiæ Landgravii diu
 admodum a Cæsare in captivitate de-
 tenti filium, eodemque tempore Moli-
 næi consilium expetebatur circa duas
 Cameræ Imperialis sententias, vi qua-
 rum Landgravius suis oppidis, arcibus,
 prædiis, ac possessionibus spoliabatur:
 Hic itaque in favorem capti Landgra-
 vii Anno Domini millesimo quingente-
 simo quinquagesimo duas consultatio-
 nes scripto vulgaverat, atque opportu-
 no admodum tempore illuc advenerat,
 ut suo consilio Landgravium in recu-
 perandis bonis suis adjuvaret: absolu-
 to autem hoc negotio Mense Julio Ba-
 sileam delatus, Mense Septembri ad
 medium vergente Lutetiam Parisiorum
 venit, Regem aditurus, causamque
 suam coram eo defensurus: Verum vix
 advenerat, cum illico rursus impugna-
 retur, ejusque ædibus denuo spoliatis
 ipse post tridui moram in Germaniam
 sese recipere cogeretur, ubi tamen per-
 benigne excipiebatur.

§. CLVII.

*Alicæ Censuræ ejusdem Theologicae
 Facultatis.*

Ca-

Exstant insuper aliæ censuræ ab eadem ^{Sæc. XVI.}
 Facultate hoc anno pronuntiatae, ^{A. C. 1552.}
 quarum prima die primo Octobris lata ^{Argent. l. c.}
 Guilielmus Castellus Carmelita prima ^{pag. 206.}
 Theologiæ laurea decoratus a Faculta- ^{es 208.}
 tis consortio excludebatur, eoquod Lu-
 theranorum cœnæ adstitisse accusaretur;
 novissime enim Julius III. Papa Parisiensi
 Facultati diploma concesserat, vi cujus ipsa
 quoslibet, qui vel erronea, ac fidei ortho-
 doxæ contraria prædicarent, vel in Scholis
 traderent, absque ulteriori forensi strepitu
 a suo consortio libere expellere poterat,
 quin a iudice profano præpediri valeret.
 Hoc idem diploma plurimum favebat
 ejusdem Facultatis liti, quam adversus
 Parisiensis Ecclesiæ Cancellarium, ac
 prætenso ejusdem jura tum agitabat;
 quippe ipsemet Rex hoc Papæ privilegium
 suo diplomate die vigesima octava
 Augusti ejusdem anni Villeriæ ad Cotiam
 edito confirmabat.

Eadem etiam Facultas 16. Octobris
 quamdam damnabat propositionem,
 quam Henricus Maurojus ex Ordine
 Fratrum Minorum in quodam sermone
 in Ecclesia ad S. Severinum enuntiabat,
 eratque illa his concepta verbis: „In lege
 gratiæ infantes sine Baptismo decedentes
 „sal-

Sæcul. XVI.
A. C. 1552.

„salvantur in fide parentum eo modo,
„quo in veteri lege sine circumcissione: si
„vero infans ante susceptum Baptisma
„moritur, salutem consequitur, in fide
„Patris, & Matris, propinquorum, &
„amicorum.„ Hæc propositio fuit pro-
scripta tanquam temeraria, scandalosa,
& hæretica, atque altera die decima sep-
tima ejusdem Mensis hic religiosus co-
ram Facultate comparens suam propo-
sitionem in eadem Ecclesia ad S. Seve-
rinum præsentibus tribus, vel quatuor
Doctoribus juxta normam ei præscrip-
tam revocare jubebatur, cui mandato
Maurojus morem gerens palinodiam
cecinit.

Die decima quinta Decembris ea-
dem Facultas rursus conventum habe-
bat, ut responderet ad postulata supre-
mi in Galliis libellorum supplicum Ma-
gistri, qui primi Præsidis Tholosani no-
mine Mansencali gener erat. Hic quos-
dam divulgabat libros, quos Facultas
suo librorum prohibitorum, ac censuris
notatorum Catalogo inseruerat: igitur
præfatus Magister hosce libros a dicto
Catalogo expungi petebat, eo quod eam
ad rem impetratæ essent publicæ Regis
literæ a quodam Regis Notario Facul-
tati insinuatæ, nec non hujus libri Au-
ctor

ctor morum probitate, ac fidei integritate plurimum commendandus foret: Igitur Doctores in unum congregati remature, ac sedulo discussa, ita decernebant: „Res, de qua agitur, magni „est momenti; hac enim via, quam intendit dictus libellorum supplicum Magister, & Præses Tholosanus, patet „aditus ad labefactandas reliquas censuras Facultatis Theologicæ Parisiensis in materia Fidei, cum tamen id in „magnum detrimentum fieret, & in „Facultatis dedecus, imo etiam Regi „inferretur injuria, qui tantum defert „Facultati, & reliquæ etiam nationes „determinationibus ejusdem Facultatis semper consenserunt. Insuper si „semel vel una Censura expungitur, „aut reprehenditur, suspectæ, aut „certe dubiæ apud doctos, & indoctos reliquæ omnes erunt. Nec movetur Facultas octo Doctorum Tholosæ commorantium Syngraphis, qui dictos libros præfati Mansencali approbarunt.

Facultas igitur nequaquam hosce libros ex suo Catalogo expunxit: in eodem vero conventu Inquisitorem adesse jussit, ut judicii acta contra Fratrem

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

Sæcul. XVI. trem Guilielmum Castellum instructa
A. C. 1552. traderet, qui tamen reposuit, quod
ea quidem non acceperit, in manibus
tamen substituti Inquisitoris ex Ordine
Fratrum Prædicatorum illa vide-
rit, omnemque conatum ad-
hibere velit, ut illa de-
mum acquirat.

